

**Dissertatio medica inauguralis de intestinis eorumque morbis ac
symptomatis, cognoscendis & curandis. Quam consensu ... facultatis
medicae in Alma Salana, praeside Dr. Rudolfo Wilhelmo Krauss ... / publicé
stabilitum ibit Georgius Ernestus Stahl ... ad diem Januarii 1684.**

Contributors

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Krauss, Rudolph Wilhelm, 1612-1689.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Joh. Dav. Wertheri, [1684?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nnw9fu4p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

A! Ω!

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

INTESTINIS,

eorumque Morbis ac Symptomatis,
cognoscendis & curandis,

Quam
CONSENSU ET AUTORITATE

Illustris ac Gratiissimæ Facultatis

Medicæ in ALMA SALANA,

P R A E S I D E

DN. RUDOLFO WILHELMO

Grauß /

Philofac Medic. Doctore, Prax. & Chym.

P.P. celeberrimo, Facult. Med. Seniore spectabiliss.

& S.R.I. Acad. Nat. Curios. Collega Primario,

DOMINO PATRONO AC PROMOTORE

omni observantiâ devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ honores, Insignia ac PRIVILEGIA

DOCTORALIA, more majorum, legitimè adsumendi,

Publicè stabilitum ibit

GEORGIUS ERNESTUS SEASHL,

ONOLDO-FRANCUS.

Ad diem Januarii M DC XXCIV.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, Literis JOH. DAV. WERTHERI.





OPIFICE RERUM ADSPIRANTE. PROEMIUM.

PArtes Corporis hujus animalis, quotquot earum subjiciuntur sensibus & in conceptum cadunt, Organicas merè esse, ex eo facilè patet, quod Animâ ab harum Motu cessante, omnium omnino actionum halcyonia contingent, & non jam Humanum Corpus, non Animale, sed acervus quidam Mixtorum, hujus (mixti) Essentiæ intuitu inordinate confusorum, ob oculos veniat, solius Dirigentis Macrocosmici sequestratione, ab hac confusione vindicandus.

At verò, quandiu r̄d Dirigens Microcosmicum, Corpora hæc sub illo ordine connexa, non jam ut mixta, & Composita simpliciter : Sed secundùm quid, connexa ad certum finem, movet & actuat, id est, illis non ut corporibus simpliciter, sed ut, ex Directione & Intentione suâ, Organicis, imperat, eaqué ad certum finem, sibi intentionaliter propositum, certo modo movet : Tandiu AGITUR in corpore Animali, & omnia in perpetuo æstu, in constanti motu, sunt.

Quibus ita se habentibus, in evolutione Essentiæ partium harum omnium & singularum scientificâ, Essentia hæc non Physicè merè, & qualis est *in se* tantum, consideranda erit : sed *relativa* potius, qualis est *in se* qui-

dem, sed ulterius quoque in ordine ad illud , ptopter quod est , expendenda veniet.

Verbo : *Essentia Partium Corporis Animalis Organicarum quā talium*, supponet conceptum eorundem *Materiale s. genericum* , & *Formalem* seu specificum : Illo, videbimus *corpora* certa : Hoc, *Organica*, seu *Instrumenta*; Illo, Esse magis absolutum & merè respectivum cum aliis corporibus specie differentibus ; Hoc, simul relativum , contemplabimur.

Eodem videlicet collineavit Divi Senis Distinctio, quatenus respiciendo ad Esse Corporis hujus visibilis necessariò Organicum, Primò ab officio seu Esse Organico, dixit Partes alias *Continentes*. Ab Esse proprio & ejus necessitate substantiæ, alias *Contentas*. Ab Efficientia verò quā organa hæc actuantur & ut organa adhibentur, alias τὰ ἀνομῶντα μέγη, impetum facientes, impellentes & *mōventes*.

Rectè igitur ex his summis Essentiæ Organicæ capitibus, Partes Corporis Humani omnes & singulæ, rediguntur sub istas Classes , ut generalissimè , quoad Materiale Essentiæ suæ organicæ, ex affectionibus Physicis generalibus, aliæ sint mixtæ simpliciter , *Similares* vocant ; aliæ ex mixtis, numero & specie pluribus , *Compositæ* , *Dissimilares* dictæ. Harum aliæ iterum & ulteriùs, ex conditione & Connexione Partium Integrantium & Constituentium, *solidae*, aliæ *fluidæ*, & (quod ex necessitate hujus Essentiæ oritur) aliæ *cōharentes*, aliæ *inherentes* (quā distinctione meritò eluditur supervacua illa quorundam antiquiorum Proscriptio Sanguinis ex numero partium corporis per malè applicatam Fernelianam Partis definitionem.)

Specialiter verò , quoad *Formale* , & ex affectionibus *ut Instrumento* competentibus, aliæ continentes, aliæ contentæ :

tentæ : Aliæ *instrumentaliter* *Moventes*, & actionem immediate magis recipientes, quam in aliud derivant & continuant ; aliæ *Motæ*, immediate magis , imò terminatoriè, actionem recipientes , seu merè patientes.

Secundùm has conditiones, cum, ut diximus, omnes & singulæ Corporis Animati partes sufficienter & adæquatè scientificèque considerari valeant , nos quoque in præsenti normam hanc sequemur , & aliquam Corporis Humani partem, Organon videlicet Primæ coctionis, In Quo, Intestina, his iisdem ex capitibus, Anatomico-Physiologicè, Pathologicè , & Therapeuticè, prosequemur.

SECTIO I. ANATOMICO-PHYSILOGICA.

De

Statu Intestinorum secundùm Naturam.

Sciagraphiam Status Intestinorum secundùm Naturam, nonnihil attingere, quamvis tot passim protestantia Anatomicorum Systemata, & reperienda ini bi hujus thematis condigna tractatio, dissuadere videatur ; Quia tamen commoditatis hoc fore censuimus, ut unico intuitu, quicquid de Intestinis, tanquam subjecto considerationis nostræ Pathologico - Practicæ , sciri & dici debet Medicè, perlustrari queat ; tum & terminus *à quo* in Pathologicis , & *ad quem* in Therapia , prænoscatur ; Placuit hîc quoque , Anatomico - Physiologicè Intestinorum Constitutionem debitam organicam ob oculos ponere, cui scopo præmittemus eorum Definitionem, quantum

INTESTINA sunt partes *Corporis Animalis* organicae, dissimilares, solidae, cavae, in infimo ventre collocatae, ciborum, pro alimentos & partis sequestratione resolvendorum, receptioni, ad tempus legitimum detentioni, & partis vel inutilis, vel simul superfluae, excretioni, destinatae.

In reddendâ hujus Definitionis ratione, Definiti *Nominali* Derivationi, & variæ acceptioni parum immorandum censemus ; quotusquisque enim est qui nesciat, quod Partes hæ tum Græcâ voce ἡντεστίνα, tum Latinâ Intestina, vernaculâ : **das Eingesweid** / dicantur à solo situ, quatenus nimis interiùs in abdome delitescunt.

Nec facilè quispiam appellationum Medicarum vel eviter gnarus, ignorabit, per Intestina in Scholis Medicis non quælibet intrà aliam cavitatem comprehensa, nec etiam omnia abdominis viscera, sed solas *Primas* ciborum & *esculentorum*, quâ resolvendorum & resolutorum, *vias*, **die Gedärme** / notari. Quamvis monendus sit Lector, quod ob substantiæ & officii identitatem, meritò his ipfis annumeratum eamus *Ventriculum*, qui aliàs in strictâ vocis Intestinorum acceptione, ab iisdem separatim quasi considerari solet : Hoc ipso illorum sententiæ conformes, qui Intestina à ventriculo solâ figurâ, amplitudine atque situ differre; & reliquum non nisi ejusdem Continuationem esse, profitentur.

Synonymia Intestinorum collectim sumptorum, præter nomen suprà dictum *primarum viarum*, aliud memoratu dignum nullum suggerit, unde suo loco relinquitur.

Essentialis verò eorundem Definitio, latius nonnihil excutienda venit, quâ videlicet tūm Esse illorum genericum, seu organismi ipsorum *Materiale*: tūm specificum, seu *Formale*, continetur, quorum singula speciatim intuebimur.

MEMBRUM I.
ANATOMICUM.
De Substantiâ seu Consistentiâ
Intestinorum.

Intestina cum per *accidentales* differentias dividantur in plura numero & appellatione, nimirum propriè dicta *Sex, & Septimum* Ventriculum ; Notanda in illis erunt primò generica illa seu *communia* prædicata, quorum Intuitu Nomen Intestinorum commune habet : deinde pensitanda quoque specifica & *differentia*, quibus unum ab altero, licet accidentaliter, reapse tamen, differre, *avt̄p̄ia* loquitur. Melioris ordinis gratia singula seorsim.

ARTICULUS I.

De Intestinorum in genere prædicatis Materialibus communibus.

Prius igitur, seu illud quod inter se *commune* habent Intestina, sunt prædicata illa quæ in definitione generis locum tuentur, ubi primò dicuntur Partes *Organicæ*, tum *dissimilares*, *solidæ*, *cavæ*, in Infimo Ventre collocatæ. De Esse tum illorum, tum omnium corporis visibilium partium, non est quod prolixius simus ; De *dissimilitate* verò seu compositione, quod dicamus habebimus.

Composita itaque sunt Intestina, pro *Esse* suo *in presens*, ex Tunicis sic dictis, communiter *tribus*; ratione substantiæ, *quatuor*; ratione verò *numeri* & officii, reverà *quinque*.

Prima,

Prima, inchoando videlicet ab extima superficie, est tenuis, *membranea*; omnibus & singulis truncis Animalis binorum ventrums Contentis seu Visceribus communis, in abdomine communi sententiâ deducenda à Peritonæo. Quæ, licet Willisio, (Pharm. Rat. S. 2. c. 2. p. 13. & 19.) creditatur deberi tendinibus tunicarum fibrosarum subjacentium, ut sit quasi tendo hujus musculosæ sobolis; Rectius tamen videtur solius integumenti & simpliciter Continentis vicem gerere, cum tunicae subjacentis immediate, recto-fibrosæ, motus, sit contractio Intestinorum in longum; ad quem tamen hic tendinum situs nihil quicquam, sed potius ad motum peristalticum seu circumpressoium facere videri posset, nisi ab omni tendinum dignitate excluderetur, per causas sequentes, 1. quia situs ejus incongruus est. 2. Quia nullibi nec insertionem nec collectionem arctiorem, ne quidem ubi mesenterio connectitur, habet. 3. Quia musculosis seu fibrosis corporibus non debentur, nisi in illo loco ubi inseruntur, & cui movendo destinantur. 4. Quia substantia hujus tunicae non tenax est & densa, sed mollis, tenera, ut nisi subtili administratione, ne quidem separari possit.

Secunda Tunica, substantiâ una, numero autem duplex, seu potius *bina*, *Fibrosa* est; quorum *extima*, & præcedenti membraneæ immediate subjacens, rectis, *longitudinalibus*: *Interior*, *transversalibus*, fibris carneis constant; quæ ad contractionem in *longum* seu abbreviationem, ut priores; & in *latum* atque ambitum, seu coartationem fistulæ & cavitatis Intestinalis, factæ sunt, ut posteriores.

Succedit Tunica *nervæ*, satis crassa & densa, vasorumque sanguiferorum plexibus & ramificationibus numerosissimis referta, rugosa, & exinde, secundum quosdam,

dam, reliquis tunicis multò longior, quod tamen fallit, vel illo exemplo, si ventriculus animali mortuo exemptus, post levem blandamque in manibus volutationem, (donec à rigore illo quem partes corporis emortui præ se ferunt, liberetur) aquâ infusâ repleatur, ubi citra ullam continui solutionem, exteriores quoque fibrosæ & membranea, tunicæ, coëxtententur ad totalem nerveæ planitiam, & omnimodam rugarum evanescientiam.

Intima, *quarta*, vel potius *quinta*, numero, illa est, quam alii *crustam Intestinorum*, alii Muscum villosum, alii *τειρωμα* molliissimæ substantiæ, alii velamentum bombycinum appellant. Notabilis crassitiei est hæc Tunica, & constare videtur in parte sui cavitatem respiciente ex fibrillis innumerabilibus, quibus bombycinos pannos æmularunt. Cum verò in postica facie, quæ nerveæ tunicæ connectitur, glandulis annulatis, ut voeat, plurimis & innumebris consitam viderit Willisius, loc. alleg. haud impropriè tunicam Glandulosam dicendam putavit.

Pro Intestinorum *Essē ad tempus*, adsunt vasā, Arteriosa cum sanguine advehentia Nutrimentum, & Venosa, sanguinem revehentia : Quibus accedunt Lymphatica, quæ, tempore separationis Chyli, unā fiunt (à contento) Lactea. Nervi quoque à Sexto pari in Ventriculo & Intestinis reperiuntur, de quibus omnibus ex professo, videri possunt Anatomici, & Subjecta.

ARTICULUS II.

De Intestinorum in specie, seu singulorum, prædicatis Materia- libus propriis.

Propria Intestinis quæ Numero pluribus, sunt: *Figura*,

B

Pro-

Profunditas, (tum *soliditatis*, tum *amplitudinis*,) *situs*, & *connexa*.

Numerantur nimirum, & his proprietatibus ab invicem distinguuntur, *septem* : *Ventriculus*, *Duodenum*, *Jejunum*, *Ileum*, *Cœcum*, *Colon*, *Rectum*. Quorum appellandi *Rationes* petantur ex Anatomicis Systematibus.

Ratione *Figurae* sunt vel simpliciter *fistulosa*, ut *Duodenum*, *Jejunum*, *Ileum*, *Rectum* : Vel *specialiter* conformata, ut *Ventriculus*, figurâ *Utriculari* : *Cœcum*, *Vermiculari* : *Colon*, *lobosá* : Singulorum figuram partim Anatomicorum Systematum Icones, (in specie *Ventriculi* quo ad communes & proprias affectiones Descriptio commendabilis in *Pharm. Ration. Willis.* habetur) partim autopsia experiment & memoriae suppeditabunt.

Ratione *profunditatis in soliditate* distinguuntur intenuia & crassa, non saltem moraliter, quatenus illa Cibos, & delicatius : hæc verò excrementa & ita crassius quid, contineant : Sed quam maximè Physicè. Licet enim in homine crassius sit ipso cœco (si nimirum hoc flatu distendatur) *Duodenum*; nihilo secius hoc non tam rem variabit, quam numerum & subjectum. Ubi tamen crassities illa non intelligenda Materialiter de numero tunicarum, sed de substantia aucta.

Ratione verò *Profunditatis in amplitudine* crassa praedicta rursus antecedunt. *Ventriculus* verò his omnibus longo intervallo præit, cuius amplitudo ad plurimas interdum mensuras, quas solâ infusione, citra continui solutionem, admittit, ampliatur.

Situm hic non intelligimus *communem*, quatenus convoluta per serpentinos gyros Intestina in circulum quasi redeunt; *Ventriculus* verò superiorem locum, omnia tamen

tamen in abdomen, possidet : Sed Situm maximè ordinis,
qui suprà sub *numero* comprehensus & determinatus.

Cohærentia seu connexa, vel potius *Inhærentia*, inter-
rim ad Essentiam Organicam Intestini quà talis nihil facien-
tia, reperiuntur in Duodeno, *Ductus Bilarius & Pancreati-
cus*, in homine & equo communi, in reliquis brutis, quan-
tum hactenùs innotuit, distincto poro. In Ileo & Jejuni
quoque parte huic proximiori, *Glandulae* aliquot conglom-
eratae insigniores, & circà finem Ilei ut & in Cœco spar-
sim, *miliares complures*. *Musculi* verò qui Intestinum *Re-
ctum* adjuvant in officio, atque Voluntariam præstant ex-
cretionem ; nec non *Valvula cœci*, & propriæ *Coli*, à Ker-
kringio *Conniventes* appellatae, à tunicae nerveæ rugis, li-
gamento speciali in hoc situ detentis, efformatae, non mo-
dò propria, sed & de Essentiæ harum partium Organicæ
Materiali sunt, uti Membro subsequentे patebit.

SECT. I. MEMBR. II.

PHYSIOLOGICUM.

De officio, & fine organico Inte- stinorum, seu Organismi eorum Formali.

Nullam in toto Corpore partem *Visibilem Agere*, nisi in-
strumentaliter, & impropriè loquendo, in Dissertatio-
nis hujus Proëmio supposuimus, & firmum stabilitumque
volumus. Intestina itaque, tanquam Partem Corporis, ad
actiones certas Instrumentaliter præstandas, destinata, &
hactenùs secundùm *Materiale* suum, quà Organica sunt,
historicè perlustrata, nunc secundùm *Formale* considerabi-

mus, & in quo, seu quoniam modò structuræ suæ, ceu Materialis sui, ad actionem, quam per eadem perficit anima, concurrant, cognoscere satagemus.

Primas esculentorum vias eadem vocari, suprà innui-mus. Ciborum receptioni, ad tempus legitimum deten-tioni, tum & fæcum excretioni, in definitionis parte poste-riori, formaliter destinavimus, id est, ut aliter rem eloqua-mur, coctioni quam primam vocant, localiter: Et posteà fæcum non tam sequestrationi à Parte alimentari, quam à toto corpore animato, inservire, intulimus.

Quamvis sententia hæc impingere videatur, primò intuitu, contrà communem, reverà tamen rem haud ita se habere, explicatione clarum erit.

Facultati Ventriculi Concoctrici, & Intestinorum quoque, tum calori eorundem Proprio, & eidem partium adjacentium, nonnihil, resolutionem ciborum, seu, ut vo-cant, Coctionem primam, in acceptis retulerunt Veteres.

Recentiores cum viderent maximam partem in *dissolu-tione* consistere hanc Coctionem, Facultatem quidem illam Culinarem & Coquam rude donârunt, sed ejus loco fontem in Intestinis aperuerunt, cuius lympha Cibum sol-diorem emolliret, qui dein spontè & fermentantis Massæ pi-storiæ modo turgescens, in minima sui, mediante præpri-mis blando Intestinorum horum calore, resolvatur, unde natura partem sibi commodam in vasa Lactea feligeret.

Nos rem lucidissimè apparituram confidimus, si Coctionis, cuius usui hæc destinantur, requisita breviter spe-ctaverimus, quod ita tentamus. Coctio est rei, mollieris texturæ, dissolutio in Partes sui constituentes quantum fieri potest minimas, per affusi, vel sufficienti copia in ipso subjecto contenti, menstrui liquidi, & caloris externi o-peram.

Ma-

Materiale itaque hujus operationis, sunt res emolli-tionis & denique dissolutioni in substantiam pultaceam aptiores. Formale, est dissolutio ; Instrumentum, duplex quid, nempe aliud quod tò Materiale, aliud quod tò formale Coctionis respicit : Illud erit Locus aptus seu Conti-nens materiæ, cuius tamen mechanica structura, caloris sinceritatem & gradum à dissipante aëre defendens, pluri-mùm conferet, ut paulò inferiùs notabitur. Hoc erit, men-struum aptum & Calor.

Contemplabimur itaque in præsenti quânam ex al-legatis ratione ad Coctionem concurrere Intestina proba-bilius sit.

Audivimus suprà, Præsupponi à Recentioribus & Cu-riosioribus Naturæ Mystis Menstruum quoddam, ut vo-cant, vel solvens Fermentativum in Ventriculo & Intesti-nis. Cui usui hoc destinetur, hîc audiemus. Coctionem illam primam paucissimi temporis spatio absolvi, commu-ni credulitate persuasi sumus ; Unde ita inferimus : Res illæ quas pro esculentis communiter assumimus, extra cor-pus humanum, fervidissimo etiam calore, plurimarum ho-rarum spatio, in massam talem prorsus pultaceam, ut fit in Ventriculo, idque pauco tempore, non abeunt ; Sine du-bio itaque necessarium erit, aliquid Ventriculo inesse, quod citam hanc resolutionem causetur. Rejecerunt hoc Vete-res, ut pariter dictum, in actum animæ immediatum, & Fa-cultatem ejus in Ventriculo, quam appellaverunt Coctri-cem. Moderni, advertentes, Coctionem primam nihil esse aliud quâm resolutionem solidi, ut exinde particulæ alibiles, seu in Substantiam animalis corporis transmutabi-lis, educi, separari & secedere possint : Rectè statuerunt, hanc coctionem à Culinaria non differre, nisi solis Loco &

Tempore, ut nimirum intra corpus Humanum, & breviori longè tempore absolvatur.

Hanc eandem tamen resolutionis hujus velocitatem, cum in actum animæ immediatum reclinare, Seculo Phisico-Mechanicis Naturæ Operationibus intento, religio esset, quandiu ulla spes organicæ influentiæ ad hunc actum expediendæ superesset: Per modum fermentationis, uti in Massa panaria, eandem contingere semper creditum est, unde tamen hoc fermentum petendum, inter omnes non convenit. Qui pistoriæ *natura modo* inhærent, reliquias ciborum ab uno pastu ad alterum in Ventriculi plicis relietas, hoc nomine censuerunt. Alii, qui Salivæ necessitatem ad gustum & coctionem secundum naturam peragendam, quamvis paucioribus retrò annis, tandem tamen adverterunt, hoc illi simul muneric detulere. Rursus alii hanc quidem dignitate non totâ exuunt, sed gradui tamen detrahunt, & principalius quoddam in ipso Loco, nempe Ventriculo, huic operi præficiunt, quod ex tunica crustosâ seu glandosâ hîc æquè atque in Intestinis oriundum, Menstruum Ventriculi, solerti genio supponunt.

Ut verum fatear, dubiæ nobis utrinque videntur sententiae, & mediæ potius ad stipulari, per causas sequentes persuademur. *Primo*, cur & cui credimus, quod coctio hæc tam citò, ut communiter loquimur, peragatur? cum vel rusticorum experientia testetur, cibum assumtum ad 24. integras horas, in corpore, sine detentione p. n., sed vel maximè s. n., permanere, antequam exinde relegetur, dum assumptus globulus ligneus, v. g. Buxeus, vel etiam Nux Moschata, statim quasi tempore circa diei sequentis eandem propemodum horam, aut circiter, potius tamen post, quam ante eandem, cum excrementis redit. *Secundo*,

dò, cur ad tantillum ciborum solidorum tantum Fermenti affundimus, ut propterea vel ancillis pinsitatis ridiculi siamus, quæ facile subducentesimâ Fermenti Proportione tempore tepidiore, ut æstivo, magnam dulcis Massæ molem perdunt, unius noctis spatio. *Tertio*, quod præcedenti innititur: Cur salivæ tantâ copiâ, quanta per sensum cum cibis masticando commiscetur, & post deglutitos deglutiatur, præsente, & in Intestino Duodeno denuò ex Pancreate affusâ, adhuc aliam ulteriùs fermenti molem ex tunica glandosa exprimimus, & ita fermenti ana cum fermentando, contra omnes regulas, confundimus. *Quarto*, cui usui post adjectam tantam fermenti molem, tantus præterea calor atque est in abdominis contentis? cum præter hæc & *Quinto*, citrà etiam fermenti necessitatem, solâ crassiori aquâ & aquoso calore, intra instrumentum contra aëris saltum externi commercium occlusum, durissima quoque corpora, v.g. ossa, typhi cervorum, tendines, paucis horis in pultem fatiscant.

Ego sic exinde colligo: Primò habemus Ventriculum & reliqua Intestina, ab aëris commercio interclusa organa. Habemus (2) calorem semifervidum; Habemus (3) plurium horarum tempus, antequâm ad Colon & Rectum pertingant cibi: Habemus (4) Salivæ & succi Pancreatici tantam molem, ut fermenti nomen ob improportionem in toto non possit tueri, ut taceamus panis, tanquam citissimè fermentescentis, commissionem eâ copiâ, quâ communiter solemus. Habemus (5) totalem illam caliginem & inopiam Experimentorum, quæ, cum Rationibus prædictis, non modò nihil tale exigentibus, sed & idem prohibentibus, otiosam hanc scaturiginem in ipsis fontibus sui suppressimunt, & sententiam illam nobis undique disuadent.

Ex

Ex his itaque Causis seu Fermento , seu Menstruo ut vocare solemus , Ventriculi & Intestinorum (præter illud quod ex ductu Pancreatico & glandulis Intestinorum conglomeratis, cum crustâ glandoso - villosâ nihil commune habentibus, lubentes agnoscimus) valere jussò, & hâc organismi formalitate Intestinis abjudicatâ , in *Calorem* potius transferimus considerationem, quem non modò suprà magnam tam velocis fermentationis, uti communiter creditur, partem efficienter absolvere posse confessi sumus , sed & idem hîc repetimus , eâ tamen cautelâ, ut non de *Essentiali* æquè, nec *communi* quidem, sed accidentalî, exteroque prorsus, eoque proprio (accid.) Calore, hoc ipsum intelligamus. Notum enim est tum naturalem tum P. natnralem calorem omnem in corpore, dependere à sanguine & ejus motu vel s. vel p. n., eoque intestino : Unde sequetur quod omnes partes quæ plus sanguinis, & quidem sub largioribus rivis , admittunt, plus etiam caloris possideant, seu potius contineant. At verò de Hepate & Lieno hoc ipsum maximè verum deprehenditur, quod videlicet purum magis sanguinem sincerumq; contineant, & in specie quidem Lien, qui sanguine arterioso in notabili copiâ turgens, caloris gradu satis eminenti conspicuus erit. Hæc itaque duo viscera Ventriculo adjacentia, præter proprium, ex structura suâ, secundariò quoque huic usui destinari credimus , ut instar carbonum ollam circum cingentium se habeant, quod tanto magis suadet Mechanica convenientia situs eorundem , quatenus suppressorio desuper Igne , (ex principio supra per Experimentum de ossium emollitione stabilito) coctionem seu emollitionem resolutoriam mirum quantum facilitari constat, imò communiter coquis, præsertim verò metallifusoribus notum est

est. Ubi simul, brevitatis gratiâ delineabimus, quæ non nullis hîc insistendo opponere placet, nempe 1. non tam Sanguinem quam *Spiritus* considerandos, qui adhuc majoris caliditatis esse putantur; at in Ventriculo ac Intestinis, ob *nerveam* eorundem tunicam, eminenter dominari creduntur. 2. Si calore tali *ab extra* opus esset, cur hic *Ventriculo* soli potius, quam simul *Intestinis*, utpote Coctioni pariter destinatis, applicetur? Ubi ad primum, negamus, *Spiritibus* inesse calorem materialiter vel formaliter, sed merè efficienter: cum ex Physicis notum sit, quod nec *Movens*, nec *motus* ipse in abstracto, sed *particulae minime motæ*, sit *Calor*. Ad secundum verò responsione vix opus esse censemus, nam pro diversa conditione *Subjecti Coctionis* seu Cibi, in uno post alterum Intestino, diversa quoque facilitate rem absolvi posse, quis non videt. In *Ventriculo* itaque ubi masticatione saltim *grosso modo* comminuti, ulteriùs attenuandi sunt cibi, majori utique omnium coctionis organorum *crespacia* in quantitate & qualitate opus erat, quam post, ubi in *minora* jam tum faticere cœperunt.

His itaque hoc modo firmatis, & eâdem operâ ab *influxu Instrumentali ad Formale Coctionis* exclusis Intestinis; Quomodo ad *Materiale* seu *Subjectum* ipsius concurrent, hîc videndum.

Fit hoc dupliciter, primò *Localitate*, quatenus nimirum *Materiam* seu *Subjectum* Coctionis recipiunt seu *continent*, i. e. *Locum* eidem concedunt, quod *Continentiam absolutam* appellabimus; Secundo, *Motu*, quatenus crassiores Ciborum partes, & superfluas, ad *certum* duntaxat *tempus* detinent, quo finito easdem eliminant, quod *Continentiam respectivam ad tempus*, dicere possemus.

Præstant hoc *duplici* organismi sui *Materiali*, *Cavitate*: & *fibrarum* suarum carnearum *complicabilitate*, quibus utrisque legitimè secundum naturam habentibus, & legitimè ab anima Dirigente adhibitis, tota *Essentia Intestinorum* benè habet. Totam rem, tum *Continendi*, nempe, tum *promovendi* historiam, paucis delineabimus.

ARTIC. I.

De Continentia Intestinorum absolutâ.

Cibi masticati, motu *Oesophagi* muscularum animali, pertingunt in *Ventriculum*, ejusque cavitati *Utriculari* & in magnam capacitatem distensibili, ita intruduntur, ut, dum motus *deglutitionis* terminatur in fine *oesophagi*, seu Orificio superiore *Ventriculi*, Cibi in cavitatem hujus detrusi, à succendentibus pressi, in fundum & latera *Ventriculi* expansionem illam, ita inferant ut idem in magnam, pro ingestorum quantitate vel qualitate, molem, secundum dimensiones in latum & profundè - amplum, eis tendatur; idque propterea, quia dictus *Ventriculi* sacculus infrà horizontem amborum sui orificiorum non modò situs est, sed & *Duodeni* Principium, in stomacho prorsus oppleret, reverè non saltem directè, sed potius versus sinistrum orificium reflectendo assurgit; unde prius quam, à subsequentium pressione, præcedentes ciborum partes & boli, ex ventriculo in *Intestina* propellerentur, non modò tota ventriculi capacitas ad ultimum distensionis suæ punctum procederet: Sed & subsequentes deglutitiones, ad tantam ingestorum molem promovendam, immensum quantum violentæ essent, necesse foret. Sed tam violentis mediis natura non utitur, placido potius motu

motu ingestorum sufficientem illam quantitatem , post resolutionem debitam celebratam , ex Ventriculo exprimit, & in Intestina , ut se invicem sequuntur, promovet, quæ constant arctioribus cavitatibus , ut videlicet tantò commodiùs , quicquid in Chymo continetur alimentosi, ex tenuioribus quasi ejusdem formatis bolis cylindricis, exsugi possit , quæ res cum clara satis sit , ad Motum potius Peristalticum progredimur.

ARTIC. II.

De Continentia Intestinorum respectivâ ad tempus , seu Motu Intestinorum.

Circa hunc notanda quæ artic. præc. dicta sunt de distensione Ventriculi spatiösâ , quæ circumscribitur tum *consuetudine*, tum etiam *naturali termino*. Ad ultimum hunc rariūs adscenditur, sed *consuetus* communiter servatur, ultrà quem si fiat progressus, Ventriculus ad contractiōnem sui præmaturam irritatus , eandem minatur , quod *Nauseam* vocamus, & eodem modo hæc sentitur in nimia ingurgitatione esculentorum, atque alias imminentे Vomitū.

Saturatus itaque pro capacitate sua Ventriculus, ingestos cibos aut totos intra se detinebit perpetuò , donec innutritum toti absumpti sint, aut eosdem ulterius propellat vel emittet (activè, vel passivè.) Non prius ; quia in omnibus omnino cibis major pars (compositi) est aliena à nutrimento animali, unde nec totum compositum in alimentum cedere, consequenter quoque intra Corpus Animale remanere non potest ; Nec postremum ; quia non adest aliquod exsugens vel extrahens. Ergò medium.

Quo ergò modo hoc fiat Instrumentaliter, paucis scrutabimur.

Notatum hoc volo, quod causam hujus *Motus*, (quo contenta Ventriculi ab hoc in reliqua, & ex his invicem insubalterna sua promoventur) *Instrumentalem* potius, quam *Efficientem*, vel *Physicam*, vel *moralement* seu *impulsivam*, scrutari promittamus. De his enim cum res admodum vel intricata sit, vel sterilis, prolixum esse, supervacuum credimus, quod communis loquendi modus de his aliisque motibus consimilibus satis superque probat. Dici videlicet, pro explicatione accuratiori, & quasi per minima, hujus negotii, solet, Cum ciborum coctio seu resolutio in ventriculo contingat per modum fermentationis; hæc verò aciditatem sui generis immediate comitem habeat, hâc ipsâ vellicatas tunicas ventriculi incipere sui contractionem, quâ successivâ, primò liquidiora, tum denique grossiora irresolubilia adusque totalem organi vacuitatem exprimi. Quod ultimum licet optimè se habeat, præcedens tamen causa contractionis allegata dubia videtur ob duas rationes: 1. quia acetum commune, fermentum pistorium, imò drastica acida, acria, salsa, omnis generis, alvum nequaquam movent, cum tamen plus minus vehementissima esse deberent purgantia, si acor esset causa contractionis peristalticæ Intestinorum. 2. Motus omnium Intestinorum Peristalticus planè nihil debet tunicis, *neque villo-glandosæ*, *neque nerveæ*, *sed solis fibrosis exterioribus*, (quod ex superfluo cuilibet, Experimento Anatomico-Physico facili, ad oculum demonstrabo) At verò ad has ipsas de contentis quid materialiter pertingere possit, quilibet agnosceret, qui meminerit substantiæ Tunicæ nerveæ interpositæ, nempe NIHIL.

De-

Deferamus potius hanc spartam magis immediatè
Animæ , tanquam soli Efficienti omnis motus ? Et quidem
Electivè agenti : cum utique ex Priori quoque assertione i-
dem inferatur , nec nisi in causâ Impulsivâ sit dissidium.
Prædicta sententia *acorem* hoc nomine recenset , si enim
resolvatur ita sonabit : *acor* irritat : *irritatio* est sensus :
Sensus terminationis seu *apprehensionis subjectum* est A-
nima. Tunicæ irritatæ se contrahunt ; *Contractio* est
Motus : qui nulli parti corporis competit nisi subjectivè &
merè passivè , soli animæ efficienter : ergo illæ dicendæ
contrabi , hæc contrahere. Illa irritationem supponit
causam contractionis impulsivam ; nihil refert , conser-
tiam. Sed causam irritationis , & subjectum eadem quæ
allegantur , recipere , per rationes adductas excusamur.

Dicimus potius *Animam* ipsam Intestina omnia in-
compressione , tanquam eorum tono naturali , conservare ,
& eandem non - naturaliter ampliatam , restituere ; sed
occurruunt aliquot statim circà hoc assertum objectiones :
1. Causa contractionis impulsiva per thesin supponitur
ampliatio : sine dubio ergò quò major hæc erit , tantò vio-
lentior illa , contractio , continget. At , 2. Purgantia non
agunt distendendo , cum minima illorum sit dosis , & ta-
men contractionem , hanc vehementissimè causantur. 3.
Flatus , etiam quam maximè distendunt & tamen nulla in-
de citior dejectio excrementorum , quod nequè 4. à potu ,
licet largius hausto , evenit. Sed meritò consequentiam
prioris negamus , nec enim statim , præsertim si lentis pas-
sibus distensio contigerit , inferenda violenta restitutio , sed
lenta potius , quia enervata quasi paulatim tunicarum am-
plitudo naturalis , citatam illam restitutionem non sollici-
tare potest : quæ tamen utique contingit , si nimis citò soli-

da multa ingerantur , quod subsequens Vomitus testatur :
vel si ea nonnihil citius pultescentia fuerint , & per conse-
quens citiori distributioni apta , hujus tamen æquabilitas
donec contingat , Cardialgiæ , sudores frigidi , anxietates
lipothymicæ ; quid in ventriculo agatur , non sinunt igno-
rari . Ad secundum : meritò distinguimus inter *statum na-*
turalem , *non-naturalem* & *p. n.* reverà enim hoc omnis
Experientia loquitur , quod sola *distensio* Intestinorum ne-
quaquam tantum causetur mali , quantū levissimū aliquod
inibicontentum p. n. solidius : Ita flatibus ructibusq; subinde
in variis subjectis mirum quantum turget venter , nec tamen
inde tantum incommodi ; ad distinctionem verò nostram
ut devoniamus , cibos , tanquam aliquod contentum *non-*
naturale quidem , sed nequaquam *Præternaturale* , consi-
deramus . *Lympham* verò illam , quæ ab assumtis *purgan-*
tibus ex glandulis conglomeratis Intestinorum & Pancrea-
tico ductu elicetur , non modo *quantitate* , sed & *qualitate* ,
quia à materiis purgantibus plurimum alteratur , jam du-
dum præter naturalem statum conciscere asserimus , ita-
que ab animæ *electivè agente* , non minus tunc ejici , quam
sanguinem v. g. in Ventriculum vel intestina emissum per
vasorum Diæresin : Verbo non minus *electivum* hunc ani-
mæ actum ejiciendi hâc ratione purgantia & materiam per
eadem corruptam , censemus , quâm similem illum actum
exprimendi per poros cutis copiosam humiditatem , post
assumptum fixum illum & nullo drastico quoquè liquore fa-
cile resolubilem pulverem & ii Diaphoretici , qui solâ qua-
si sui præsentia hunc actum impulsivè causari videtur . Quo-
ad *tertiam* , illa nostræ thesi nequaquam contraria satis est ,
cum ita inferatur per illam : Fit distensio , ergò *totalis e-*
vacuatio fieri debet , & quidem *confertim* seu violenter

Qui

Quis enim non videt, flatum distensionem utique causari contractionem Intestinorum, quod eorundem citæ
expulsiones satis produnt: sed non tam violentam, ut propterea omnia contenta simul migrare jubenda sint, seu quæ totalem restitutionem Intestini proritent. Bre-
viter, *repentina* distensio præter-naturalis est, unde *citò & violenter* corrigitur: *successiva* v. & ita quasi consuetudinalis aliter se habet. Ad quartum causa in aprico est, cur *potus* seu liquorosa distensio alvum non moveat, quia alias vias, per quas ejiciatur ex Intestinis satis citò, præstò ha-
bet natura, videlicet easdem per quas chylum amandat, & ipse potus tanquam materies mobilissima, citius in æquili-
brium seu æqualitatem, propulsione ex uno Intestino in alterum, redigitur: Licet & ejusdem *nimum conferta* ingurgitatio subita, ejusdem restitutionem violentam ab Effi-
ciente motùs emendicet, unde *Vomitus Bibulonum* in ipso punto delicti. Adeoque potus nimius nec contractio-
nem non exigit, nec exigit: *Partiale*, seu tandiu durantem, donec vel æquabiliter digestus, vel in vasa ex Intestinis transcolatus sit, exigit: *Totalem* verò, omnium Intestinorum, propterea *non* exigit, quia ad eadem non pertingit omnia. Ubi tamen apprimè notandum, quod ea liquorosa, quæ *viscedinem* quandam præ se ferunt, ob quam in vasa impelli nequeunt, in Intestinis stagnantia, uti-
que eorum Systolen seu Peristalsin quèm maximè promo-
veant, Unde sic dicta *Humectantia*, alvum quoquè sub-
ducere toto die observantur, quod etiam de purgantibus tenendum, quæ adjectis talibus quæ *viscedinem* thumorum resolvunt, v. g. *alcalibus fixis*, in vi laxante vel refringun-
tur, vel eadē penitus cadunt, quemadmodum contrà, & sine his, quæ humores in intestina prolicitos maximè in-
viscant,

viscant, ea ~~degestio~~ quoque observantur, v. g. Colocynthis, quæ contenta Intestinorum non viscidâ præinexistentia sed inviscidata à seipsâ, educit, seu *ob hoc ejici* facit.

Sed missa hâc prolixitate circa *Efficientem impulsivam, instrumentalitatem*, quâ mediante hæc ita peraguntur, evolvimus, & quibus mediis Motus Intestinorum peragatur, perquirimus. Sunt hæc *tunicae* illorum *fibrosæ*, tum *longitudinalis* tum *transversalis*, quæ fibrarum sui singulorum *crispatione* & contractione, ad conceptum *serpentinâ*, ad modum vasis varicosi, & totius internæ complicationis testium, in majori proportione factæ, (quale quid ad sensum etiam, in *ranarum*, & speciatim *terrestrium Bufonum*, Intestinis, oculo nudo patet, & simile quid in Intestinis observatum allegat Curiosus illustris Anglus, *Grew, in the comparative Anatom. of Guts and stomachs of some quadrupeds*) quâ longitudine illarum notabilissimè decrescit, latitudine interim nonnihil auctâ, unde has fibras non confertim, sed satis à se invicem distantes, disposuit, ne inde sequi videretur incongruum illud, ut auctâ fibrarum singularum latitudine, antipraxia quædam tunicarum inde oriatur, reverà enim quod tunicae recto-fibrosæ decederet in *longitudine*, accessurum esset in *latitudinem*, & consequenter cavi, quod constituit, *amplitudinem*; & in tunica transversali, contrâ. Contractio verò hæc ratione *termini*, fit à superioribus versus inferiora: Ratione *temporis*, admodum lenta, & successibus vix sensibilibus, donec continuata peristalsi ad Rectum delata, per idem concurrentibus simul musculis ejusdem, & abdominalis, horumque motu voluntario, è corpore humano penitus exprimantur.

SECTIO II. PATHOLOGICA.

De Læsione seu recessu à Statu s. n. Intestinorum.

AXIOMA hoc est in Pathologicis : *Quicquid partis organicae Materiale lredit, Morbus est; quicquid Formale, seu officium ejus, Symptoma.* Brevi hâc determinatione manifestum fore confidimus, quò referendi sint *Morbi Intestinorum*, quò *Symptomata*; illi nempè *Prioris Clasis* erunt, *bac posterioris*. Cum verò *contraria* sint *secundum idem & ad idem*, in iisdem quibus absolvebatur *Sanitas* partis, quærenda quoque *subjectivè* erit ipsa *Læsio*, quod sequenti modo præstare annitemur.

MEMBR. I.

De Læsione Consistentiæ, seu Morbis, Intestinorum.

In Physiologicâ nostrâ Tractatione *Materiale organismi* Intestinorum censuimus secundum **CONSISTENTIAM**, Diximus quod sint (1.) *Corpora solida*, (2.) *cava*, (3.) *dis-similaria*, (4.) *in infimo ventre contenta*. Quemadmodum verò tum temporis ad *soliditatem* eorundem probandam sufficiebat *diffimilaritatem* eorundem describere: Ita hic contrà, & cum *Læsio* illorum maximè in *conformatione* contingat, hujus potissimum ratio habenda. Cum autem partes corporis non modò *singulæ*, sed & *sociæ* sint, & utroque modo lædantur: Primò *morbos conformatio-nis*, deinde *situs* quoque, inspiciemus,

D A R-

ARTIC. I.

De Morbis Conformatio-

nis Intestinorum.

OMNE solidum, tria dimensionis terminis definiri, nempe longitudine, latitudine, profunditate, notum est, ex quibus, proportionatè ad invicem se habentibus, figura seu *Conformatio*, eaque in certo corpore certa & specifica resultat. Hæc quotiescumque in aliquâ sui dimensione, augendo, minuendo, depravando, patitur, *Morbus conformatio*nis judicamus. Quid horum in Intestina nostra cadat, dum perpendimus,

In *Longitudine* quidem rarissimos, imò nullos hos dari dicimus, præter *contractionem illam in longum*, quæ in Evacuationibus, à vaso *Ventriculo*; náre *Intestinis reliquis*, secundum fibras suas longitudinales contingit, Experimento Anatomico facilè oculis exhibenda: Nam, *Procedentia* sic dicta *ani*, ad morbos *situs* potius referenda, ubi etiam ejus mentionem faciemus.

Latitudinis seu *amplitudinis* morbos quod concernit, contingunt hi vel in *distensione*, vel in *coarctatione*, vel plenarià *obstructione*. *Prima* contingit vel per simultaneam *ingestorum molem*: vel per eorundem *congestionem* suprà *obstructionem* vel denique per *Flatus*. *Priores* cum satis clara sint, *ultimorum* horum optanda esset Pathologia sufficiens, & quæ conciliaret contrarietatem illam, quam originis ratione habent cum aliis vaporibus, excitantur enim frigido, compescuntur calido: Nec *abdominis* quidem, & hinc actualem magis Intestinorum refrigerationem, sed extremarum planè corporis partium, sufficere, imò aptiorem esse huic effectui, videmus. An *causa-*
sa ma-

sa materialis, juxta *Sylvium*, in *pituita viscidá in Intestinis*
restitante, quæ à *Bile oleosa* *resolvatur in vapores*, ponen-
da, propterea meritò dubium videtur, quia nullus ad hunc
causandi modum analogismus mechanicus suppetit, cum
viscida ab oleosis in vaporosum quid resolvi, non constet, al-
latum verò Exemplum Practicum, non tām ad *resolutio-*
nem talem, quām *calefactionem* quam olea & atā efficiunt,
& quidem *totius*, referri posse videatur. *Willisi* senten-
tia, *Pharm. Rat.* cap. *de Purgatione*, *proposita*, cum i.
flatus ordinarium quiddam & quasi naturale esse censeat,
i. Solos illos qui durante coctione fiunt, leviores proinde,
per hunc modum fiendi designet, *Cholericos* verò istos,
obstructionibus, & coctioni jamdudum peractæ superve-
nientes, de quibus præcipua est quæstio, non assequatur
(nisi ubi *spiritus animales*, pro more, cum *aere seu flatu*
confundit, & *flatus Colicorum Tympaniticorum*, *Spiri-*
tus animales materialiter esse putat, quod tamen nemo fa-
cilè crediderit) meritò pro insufficienti remittitur. Nos,
attendendo quod in *flatuosis*, communiter quasi, præce-
dat, quamvis minima, *actualis* tamen *refrigeratio*; quam
subsequitur *repentina* & *momentanea totius*, in gradu ca-
loris, *resolutio*, cum innominata quādam *precordiorum an-*
xietate, & *levi vertigine ac horrore*, quæ omnia, *recoo-*
perto corpore & *redincalescente*, plus minus citò evane-
scunt, *flatusque his omnibus pedissequi*, *copiosi quoque*, &
totum abdomen distendentes, *sæpius sine ullâ eruptione*,
recolliguntur, & abdomen subsidere sinunt, uti in proprio
corpore, ante annum unum vel alterum, sufficienter ob-
servare licuit; Probabile arbitramur, quemadmodum in
mechanicis alibi, evaporabilium resolutionem admodum
promovet *frigus ambientis*, ex aliquā parte admissum, v. g.

ubi ollæ ferventi aquâ plenæ halitus ex folle frigidus insuffatur : Ita hîc quoque si in actu caliditatis repentina caloris resolutio contingat , vaporescere contenta liquida , eosque vapores vel sub tali formâ emittendos , vel æquali in totum ambitum readmoto calore , reconcentrandos ; Ubi tamen in transitu illam suspicionem curiosis ingeniiis movemus , eorumque ulteriori investigationi exponimus , qui fiat , *quod ipsi Flatus à peripheriâ quasi in Intestina effundi videantur , nec facillimè easdem vias , quas chylus & potulenta , materia aëre multò crassiores , irrumptant , utpote his omnibus , propter distensionem quam causantur , multò fortius pressi.*

Coarctatio quam secundo Loco recensuimus , præter illam , quæ à ciborum in parvâ quantitate assumendorum consuetudine , accidit , nulla est nisi à motu tanquam principio activo , nempè Contractio , de quâ suo loco . Hæc verò agnoscit fibrarum ventriculi præcipue carnosarum , quasi concretitiam firmitudinem , pro causâ suâ , quæ inducitur his ipsis , dum illæ in potentialis suæ extensionis actum ejusque ultimum terminum nunquam deducuntur , unde quando id ipsum unâ vice confertim accidit , hæc in continuo , per solam consuetudinem naturali reddito , solvuntur , & hoc ipso dolorem causantur , qui licet exquisitus æquè non sit , sed *innominatus* potius , *anxius* , multum tamen patienti facessit negotii , donec tandem , & si admodum notabilis fuerit excessus , vomitu , vel si minus , distributione assumtorum , affectus solvatur .

Obstrucțio verò seu *oppletio* , seu *totalis cavitatis quasi abolitio* , oriri solet vel à *causâ externâ* , vel *internâ* . *Externâ* vel *toto genere* , vel saltem modo *essendi p. n.* *Prioris signa* ex assumptione ejusdem (ut nummi istius ap. Kerkring ,

kring. Spicil. Anat. obs. 1.) aut suspitione ejusdem rationali, uti *Vermium*, quale exemplum habetur Act. Nat. Curios. anno XI. seu Decuriæ secundæ primo obs. 118. p. 300. & signis confirmantibus, petenda. Modò essendi peccare solent *Scybala* indurata, quatenus intestini tum *coli* cellulis, tum *Ilei* angustiis impacta, pressionem, quæ coarctatione Intestini fieri debebat, non admittunt, collectione succedanearum desuper færum, earumque stagnantium *Putrilagine*, Intestinis *erosiones*, *Inflammationes*, denique & Motus *Peristaltici inversionem*, cumque hoc fæcum *Vomitum*, seu *Ileum consummatum*, portendunt.

Causa interna, respectu videlicet *substantie intestinorum materialis*, est vel *situs* intestini intra seipsum mutatus, cum duplicaturà sui, quam describit *Sylvius* Pr. l. 1. c. 15. Et *Peyer. de gland. Intest. c. 9. p. 81. ubi simul. p. 83.* modum fiendi subjungit: vel ejusdem *Magnitudo* insigniter aucta, cum motus *Peristaltici* in illâ regione, ob *fibras affectas*, abolitione: Cum verò hæc ipsa à prioribus demum induci frequentius soleant, nempè *duplicatura* illa ab aliquo solido, Intestinum secum deorsum ferente, aut ejusdem conatui resistente: *inflammatio* verò talis & intumescentia à fæcum contentarum & *situs* communis mutati, aërisque ambientis frigidi, humores congelantis, concursu; hanc ipsam potius *externam* causam, *situs* videlicet communis mutationem, inter causas recensemus, quando videlicet ab aëre externo frigidore pars prolapsa intumescit; & inde reponi nequit propter inclusionem & constrictionem, quam *foramen Peritonei* per quod elapsum est Intestinum, circumscribit, unde fæces ultrà hanc stricturam penetrare non possunt.

Lati- seu *Amplitudinis Morbis*, succedunt *Læsiones Profunditatis in solidum*, seu *Magnitudinis*, qui cum consistant vel in *augmento* vel *decremento*, priores in *Intestina* cadunt, *Tumores omnis generis*, posteriores verò nulli. *Tumores* itaque uti alibi ita hīc quoque fūnt ab *Humorum decubitu & stasi*, quando videlicet *viæ*, vel *justo strictiores*, aut ab heterogeneis secum advectis *obturate* eosdem non transmittunt; Hi verò cum duo sint in corpore Universaliōres, *Sanguis & Lympba*, ex istius *stasi & fermentatione mixti* concepta, *Inflammationes*; ex hujus, per *stasim diuturniorem congelatae*, particulis transpirabilioribus privatæ, crassamento, *Scirrhi* oriuntur. *Prioribus* subjacent illæ præcipuè partes, quas *sanguis* magis immediatè ex arteriolis influit, ut *tunica nervosa & carneo-fibrosa*. *Posterioribus* præprimis *glandulae Intestinorum conglomeratae* hinc inde conspiciendæ, utpote quibus hanc *scirborum colluviem* satis familiarem esse experientia ostendit. *Priorum Diagnosin* juvant *obstructiones alvi* manifestiores, aut *deglutita solida aspera*, *vermes consueti*, *Furgantia* quantitate vel qualitate *immodicâ assumta*, dolores *Colici acutissimi*, *punctorii*, *estus continuus*, *decubitus in alterum latus*, vel in ventrem *necessarius*, & dolorum, sicubiflatus ortus fuerit, ad clamorem usque ægri exacerbatio. *Prognosis* periculosa, licet affectus non adeò infrequens; *Maturè succurrendum* ne in *Gangrenam* cadat pars, cui rei mederi arti vix possibile esse censemus. *Posteriorum nulla Pathognomonica & certa dantur indicia nisi alvum præter consuetudinem* sicciorum, huc referre quis velit; Affetus interim periculosus satis, utpote qui facile in *Cancrum transit*, cuius in *Colo* exemplum habet *Scultet. obs. 61.* qui tamē æquè certum & Pathognomonicum signum non præse

se fert, quod cum *Inflammationis* Diagnosi non coincidat; Si verò quam maximè illud adesset, non nisi *funesta Prognosis* exinde speranda, cum in partibus ignobilioribus etiam, oculis manibusque patentibus, *Cancrum* non frustrà in Medicinâ appellemus: *Noli metangere.*

Recenseri medio quasi Loco inter morbos *Magnitudinis & Longi - seu Rectitudinis*, aut *superficiei*, possent Morbi *equalitatis* seu *Exanthemata* illa, quibus non raro obsita deprehensa Intestina, historiæ fidem faciunt, v. g. *variola, Bubones, Anthraces &c.* Sed cum illa tum temporis, & quando retrocedentibus à Peripheriâ ad interiora, supervenit *Colica, Diarrhœa, vomitus, singultus*, in potestate Medici aut amplius non sint, aut *antè profundius actas radices*, ad minimum uti affectus Intestinorum tractati non debeant, hîc quoque Pathologiam eorundem inferere *anno* censemus.

Quemadmodum verò partium *solidarum*, tanquam conformati cuiusdam certâ figurâ, læsio quoque contingere potest in *Continuo*, ita ut *unitas seu unio totius dissolvat*; ita eundem hunc morbum Intestinis à *causâ externâ* sèpè imminentem, & certis de causis admodum considerabilem hîc quoque perspiciemus.

Frequentius evenit in partibus externis Corporis ut per extrusionem Naturæ seu Animæ Dirigentis, in hujus superficiem deponantur excrementa secundæ coctionis vitiatae, seu humorum pars quædam specifico modo corrupta, unde *Ulceræ vel particularia, vel Universalia*, ut *scarbies, psora, Variola, Bubones &c.* Rarissimè verò, quantum quidem exemplis patet, contrario motu, citrâ causam externam, natura utitur, ut nè pè materiam talem in Intestina deponat, nisi in *Criticis magis exanthematibus,* uti

uti paulò suprà monitum. Sæpius à causis externis hoc efficitur, nempe rebus toto genere p. n. in Corpore latitanibus, vel externâ vi eidem illis. Primi generis sunt interdum *Vermes sæviores*; Secundi *deglutita dura, aspera acuminata, acuta, corrodentia*: Postremi, *vulnerantia, secantia penetrantia*. *Diagnosin* horum quod concernit si *vermes* subsint, difficilis cognitu res est. Quotusquisque enim, in ægro puero licet, & vermibus aliàs satis vexato, audeat determinare, ab erosione vermium hoc vel illud, licet atrocissimum symptoma, certò & infallibiliter oriri? vel si sciat, quomodo solutionem continui tractabit in concluso? Poterit quidem coalitionem naturæ relinquere. sed viderit quâ *Prognosi*, imò quo eventu. Manifestior est *Diagnosis* illarum *læsionum in continuo*, quæ à *deglutito absurdo*, vel imminentes vel præsentes deprehenduntur, *Prognosis* eadem cum Priori: *Manifestissima* verò quæ ab extrâ, cæsim, & latè Patente vulnera continentis; illata; uti contra quæ punctum facta communiter ad Medico-Legales potius, quam Medicas, Diagnoses recidit.

Quod itaqùe *Vulnera Intestinorum, & læsionem Continuitatis* in genere, concernit, quæri de illis communiter solet, anne *Prognosis* eorum sit Lethalis eventus, nec ne? Pro utraque sententia stant magni Artis Mystæ, quorum aliquos videre est in *Actor. N. C. Decur.* II. anni I. obs. Scholio, à Prænobiliss. & Excell. Domino. D. Volkamero, Patrono nostro observando, allegatos: Nos quid de illis videatur paucis differemus. 1. Admodùm distinguendum censemus inter *vulnera*, & inter *ulcera*, utraqùe vel *penetrantia*, vel *secùs*. 2. Inter *Locum Vulneris vas majoribus proximiorem*, vel contrâ. 3. Inter *tempus Inflictionis plenis vel vacuis Intestinis*. 4. Inter *Intestinum tenuem vel crassum*

er ossum. 5. Inter vulnera Intestinorum *grandiora*, cum
grandi *abdominis hiatu*, & contrà sine eodem. 6. Inter
subjectum *Colicis doloribus* alias facilè obnoxium, & con-
trà. Juxta hanc normam, 1. *Vulnera Intestinorum ulce-
ribus* sæviora denunciamus, quia in his *sanguinis magis
sinceri affluxus*, faciliùs *Inflammationes Gangrenamque* in-
ducit. Quod 2. tantò velociùs contingit, quo propria-
ra & viciniora sunt *vasa grandiora*: Si verò horum unà
contigerit læsio, *calamitosum* censemus. 3. Si tempo-
re plenitudinis inflictæ fuerint, tantò periculosiora erunt,
quò magis à præterlabentibus cibis distenta, à *chymo sub-
acidulo, bile*, vel pro conditione loci *fæcibus alvinis*, alte-
rantur. 4. Graviora quæ *tenuibus* infliguntur, ob *fibro-
sarum tunicarum*, in quibus totum negotium *prime* con-
solidationis quærendum, teneritudinem. 5. Pejora in
subjecto *Colice & flatibus* obnoxio, qui consolidationem
impediunt, retractant, labia Vulnusculi alterant. Deni-
que desperatiora, quæ citra *aperturam abdominis notabil-
em* facta, cum motu instrumenti lædentis *contusorio* vel
vellicatorio, *Inflammationes* quasi in momento inducen-
te; quò referendæ quoque *contusiones ex ictibus sclopeto-
rum*, &c. Si itaque hæ circumstantiæ probè expendantur,
in obveniente quoctunque casu, *Prognosin* juxta easdem in-
stituere difficile non erit, eamque uti *Rationi*, ita *eventui*
responsuram.

ARTICULUS II. De Læsionibus dissimilaritatis & Situs Intestinorum.

Situs Intestinorum superiùs à nobis divisus est in *situm or-
dinis* seu *proprium*, & *circumscriptionis continentis*, seu
E com-

communem. Ille vel non lœditur, vel si id fiat monstrōsè, Medicam considerationem eludit: Hic verò duplīcī modo iterum peccat, vel intrà vel extra limites circumscriptiōētis abdominis. *Intrà*, vel naturæ formantis errore, ut notum exemplum ventriculi suprà Diaphragma, in thorace collocati, ex Illustr. Nat. Curios. Actis prolixius p̄tenda; vel minùs erroneā quidem, interim tamen vel *Individualis n.*, vel *p. n.* Intestini *Coli*, per medium abdominis volutati, quam *Sylvius Prax. l. 1. c. 14. §. 11.* allegat, maximè notandam utpote ad Symptomatum *Intestinorum* creditorum explicationem, imò *Colice* causalitatem, ob facilem refrigerationem, mirum quantum lucis afferentem.

Extrà abdominis limites mutatur & excedit. *Situs Intestinorum*, vel in *Vulneribus* abdominis, vel in laxitate faltem *Peritonæi*, & rupturâ Musculorum Continentium cohæsionis, uti in *herniis Intestinalibus*, quales, à loco, sunt vel *scrotales*, vel *umbilicales*, vel *Inguinales*: in *Iliacâ* verò regione, *linea alba* suprà umbilicum, infrà sterni cartilaginem ensiformem (vid. Barthol. Cent. histor.) rariores. *Modus fiendi omnium* in eo consistit, ut perruptis iis *musculorum tunicae fibrillis*, quibus hæ fibi invicem cohaerent, *foramen* quasi quoddam aperiatur, per quod *Intestina*, *propriâ gravitate*, *Peritonæum*, cui incumbunt, exprimere, & intrà idem tanquam sacculum quendam, prominere soleant, & sub cute exteriori protuberare & extumescere, & hoc quidem in *Umbilicalibus* & *Inguinalibus Herniis*, reliquisque recensitis, præter *Scrotales*, per se tales, (nam & *Inguinales* tandem *per accidens* fiunt tales) in quibus modus fiendi ille est; *Tunica vaginalis Peritonæi*, quæ *testiculum masculum* intra se extrà abdomen continet, & loco, ubi cum *vasis Præparantibus* & *deferentibus* abdomen

domen egreditur (satis tenui foramine) iisdem fibrillis, quibus eo loco his vasis, seu potius eorundem tunicæ propriæ, contexitur, *ruptis*, Intestinis, præcipue Ileo, incumbentibus, viam largitur, ut intrâ eandem, dilatato pede dentim foramine, quò extrâ abdomen prodit, elabi, & testiculo illius Lateris socia decumbere possint. *Causæ* quæ his malis ansam dare possunt, sunt, quæcunque vel ab intrâ elisionem fortem & uno momento violentam aëris, in cavo abdominalis contenti, ciere possunt; aut quæcunque continens abdomen *illisione gravissimâ*, vel *compressione violentissimâ*, secundum aliquam sui regionem cogere, & contenta aliorum violentissimè propellere natâ sunt. *Prius fit*, quando *Diaphragma*, (quod in attractione aëris intrâ pulmones, cum costis plurimum attollitur, aut potius easdem attollit, quò plus hujus attractum, tantò altius attollitur & quasi tenditur: At si unica vice simul & semel tensio hæc relaxetur) deorsum cum impetu ruit. Eò ipso verò aërem intrâ abdomen contentum, & repente hoc impetu non *comprimendum* æquè quam *exprimendum*, vehementer collidit, qui quærens exitum, eundem, quâ tenerior est connexio, invenit, & tensivo impulsu vel *fibras processus vaginalis conjunctivas*, immediatè: vel *musculorum abdominalis* mediatè, & interveniente *Peritonæi* in hanc partem impulsu dilatatorio, dirimit. Molestus est hic affectus, & in *umbilicalibus atque inguinalibus*, *refrigerationi* Intestinorum, hinc contentorum stasi, obstructionibus; In scrotali verò & hoc, & tumoribus, Inflammationibus, indeque tandem Ileo, producendis, natus: undè vel secundum *res non-naturales*, & *præservatoriæ*, vel secundum *mp. naturales*, & *curatoriæ*, magna ejus cura utique gerenda. Alio modô *Situm extrâ corpus*

mutat *Intestinum Rectum*, in *Procedentia* sic dicta *Ani*, quando videlicet *Infantibus*, aliisve adultioribus, *tenesmo aut facum duritie laborantibus* (ut infandum modum quo Italicas in oris hic affectus frequens esse dicitur, merito silentio calemus) protruditur pars aliqua *Intestini Recti* extrà corpus, ad digitii sèpè longitudinem, multum molestiæ, sèpè & periculi faceiens. Refertur hæc à quibusdam efficienter modò in *Expultricem irritatam*, modò in *Retentricem lœsam*, subjective verò in totum *Intestinum Rectum*; *Instrumentaliter privativè in lysis muscularum levatorum*, quasi hi *Intestinum detinere impotes*, illud ipsum temerè fluctuare permetterent: Si verò considemus (1) *crassitiem necessariam*, si totum *Intestinum cum tunicis fibrosis, duplicatum propenderet*: 2. *Necessarium vel muscularum prædictorum unà & intrà præfatam duplicaturam duplicatorum, propendentiam, vel 3. eorundem continuitatis & connexionis, per fibras, cum substantiâ hujus Intestini, solutionem.* Hisque conferamus Phænomena 1. substantiæ propendentis *mollitiem & tenuitudinem*, 2. *Methodi restituendi processum*, illam prorsus teneram & mollem deprehendemus, nempè nihil aliud nisi *tunicae glandosæ seu crustaceæ & cui firmissimè adhæret, nerveæ, p. n. laxarum, partem, à tunicarum fibrosarum peristalsi validissimâ & iteratâ detrusam*; ubi tamen monstrosa est observatio Excellentissimi Scholiaстis ad Act. N.C. dec. II. ann. 1. obs. 113. *procidentia ani ulnam unam, longæ, utpote quam molem vix totum Intestinum Rectum tertia parte æquat, subsequens verò Colon nihil huic simile suppeditat, nisi cellulares tunicarum harum interiorum coagmentationes, à ligamento, quo compinguntur, liberatae & abruptæ fuisse credantur.* *Laxitas tamen seu exten-*

tensio in longum p. n. non ultimo loco inter causas numeranda.

Dissimilatatis morbus , seu numeri partium componentium , ille solus datur , quando in *Diarrhaeis* aut potius *Dysenteriis* consummatoribus , frustula , carnea visa , vel tunicacea quædam substantia cum excrementis ejicitur , quarum illa glandulas p. n. auctas & denique ab origine suâ avulsas , meritò supponimus , vid. Peyer. de glandul. Intest. hanc verò reverà tunicae interioris aliquam portionem , crebris Intestini contractionibus , anteà nempè plus minùs corruptum à contentorum dyscrasiâ , abruptam statuimus : *Quod ipsum licet perpetuò calamitosum non sit , prius verò citrà ullam sàpè subsequentemnoxam factum meminerimus , per accidens tamen vel corruptionis Intestinorum Gangrenosæ nuncium , vel exulcerationum scirrhorumve imminentium metum inferrunt.*

MEMBRUM II.

De Continentiâ Intestinorum læsa , seu Symptomatis corundem.

Symptomata partium organicarum omnia , tanquam *lesiones actionum Instrumentalium , causas agnoscere* vel *Instrumenti* , quo fieri debebant , vel *principii* illius *activi* quod *moveare* debebat , *morbos* , ex *Pathologicis* notum est. Intestina , ut *partes organicæ* , cum pariter certo actui destinentur , ita ipse quoquè vario modo patitur , *causâ* in *Organi Morbo* quærendâ . *Quemadmodum* verò *officium* seu *formale Organismi* illorum posuimus suprà in *Continentiâ* , eaque vel *absolutâ* , vel *respectivâ ad tempus* , quam *Motu Peristaltico* absolvî statuimus ; Ita harum quo-

quæ *laſiones* secundum *cauſas* suas enumerare & explicare sat agemus.

ARTICULUS I.

De Læſionibus Continentiæ Intestinorum Relativæ.

Dupli modo hæc læditur, nempè à parte *Relati* & *Correlati*, seu à laſione *Continentis* & *Contenti*. Prima contingit in *solutione continui* à causâ vel *externâ*, vel *internâ magis* (ut *erosionibus*, *apostematis fistulosis*, item *obſtructionib⁹*) Posterior à *contenti* vel *toto genere*, vel *existendi*, vel *solo Effendi modo*, p. *naturali constitutione*. Referri huc à quibusdā posset faciū effluxus involuntarius, sed cum ille dependeat à laſione motū tonici *ſphincteris* ad ſequentē Art. eundem reservamus. Quod itaque *Contenta* attinet ſunt illa *prioris generis* vel *deglutita*, quæ ſi *hamulata*, *acuta*, *rodentia*, *punctoria* ſint, nihil boni ominantur, quale quid *Culter ille Borufficus*, tot scriptis celebris; item *fistula musica*, feliciori tamen eventu per anum reversa, ap. *Barthol. C. anat. 1. obſ. 59.* loquuntur; *penna anſerina* per duos annos moleſta in ventriculo, dein quaſi evanescens; *metallica*, *cultri cum vaginâ*, *chalybs exacuatorius*, *pes lebetis aenei*, locis inconsuetis, per ulcera redeuntia, memorantur *Zodiac. Gall. Bleſny an. 1. mens. Febr. obſ. 4.* & *Majo obſ. 2.* Vel ſunt intrà *corpus* ex *seminio specifico*, *communicato*, exorta, uti *vermes*, quorum alii *Ascaridum*, alii *Lumbricorum*, alii cum addito *Latorum*, *teretium &c.* nominibus noti ſunt, quorum monſtroſa interdum figura & longitudo, uti ex *Autoribus* paſſim; ita nobis exempla nota, qui *Lumbricum novem ulnas longum*, mortuum ex *Intestinis extractum*, novimus. Moleſtissimi hi ſunt hospites,

spites, & *Symptomatum* æquè ac *Morborum* vel contumaciorum vel atrociorum architecti, si tamen *Diagnosticè* saltet se prodant, *Eventum* æquè atque modum ejusdem innocentium pollicentur in curâ. Existendi modo peccat præcipue *Sanguis* sincerus, vel *Diæresi*, vel *Anastomosi* vasorum effusus, ut in *Dysenteria* verâ & nothâ evenit. *Essendi modo p.n.* peccant *fæces alvi*, quocunq; modo vel *imperfectæ*, vel *corruptæ* *Imperfectæ* sunt in *Lienteriat*, ubi nullo modo cocta, sed quemadmodum ingestâ, per anum redeunt assumpta. In *Cæliacâ*, ubi nonnihil quidem cocta seu pultescentia, sed non sequestrata à chylo laudabiliore, nec specificâ istâ putrilagine in Excrementorum crasim transformata, excurrentur. *Corruptæ* sunt in *Diarrhœis*, ubi Sero p. n. dilutæ, *fœtidæ*, *eruginosæ*, *nigrae*: aut *arida*, *dura*, in *Obstructionibus*, peccant. Quæ ipsa verò, quia coctionis partim vitiis, ut priora: Partim febrili crisi, uti *Dysenteria vera sanguinea*, debentur, specialem sui tractationem, nisi in quantum *Intestinorum* continentium tum *morbis* tum *Symptomatis*, causam continentem suppeditant, hic non merentur. *Morbis* autem *Intestinorum* *in continuo*, *profundo* seu *magnitudine*, & *dissimilaritate* producendis apta esse, ex singulorum recensione suprà præstitatâ clarum est. *Symptomata* verò quæ producunt, *Motûs* præcipue *Læsiones* sunt, de quibus agere jam instituimus.

ARTIC. II.

De Læsionibus Continentiæ respectivæ ad tempus seu Motus Intestinorum.

Symptomata omnia cum consistant vel in *augmento*, vel *defectu*, vel *depravatione*, in Intestinis quoquè nostris

Stris hæc ipsa Symptomata Motūs sub has classes referenda,
& ex iisdem censenda erunt..

In excessu læditur in omnibus *alvi fluxibus*, seu dejectionibus liquidis, crebris, aut, sine etiam materiæ successu, vanis conatibus molestis. *Causa immediata* horum est *contractio* crebra intestinorum, & hæc quidem *instrumentalis*: *Principalis* verò & *activa*, principii illius quod *Motus in Corpore* efficit *irritatio* pro excussione peregrini cujuscunquè, vel *in substantia*, vel *in cavitate Intestinorum* hærentis. *In substantia* Intestinorum hærent nonnunquam *Apostemata* & quæ hæc præcedunt, *Inflammationes*, quæ utraquè tamen *Motum Intestinorum* augere, si vera loquimur, rarò observantur, nisi in *solo Tenesmo*; quod enim in dissectis aliquibus largissimâ & diuturnâ *Diarrhea* confectis Intestina alicubi rubentia & Inflammata compareant, effectus potius, quàm causa morbi censendus est. *Intra* verò *cavitatem* eorundem contenta frequen-tissimè his malis ansam præbent, nec tam *Materiale* organismi seu texturam Intestini, quam *formale* lædendo, *alienitate relationis*, principium illud movens, (quod alii *Spiritum insitum*, alii *Archæum*, alii *facultatem expultricem*, alii, sine dubio optimè, *Animam actionum præsidem*, vocamus) *irritat*, & ut *formale* Intestini Organicum alterum, nempè *Motum assumat*, pro ejiciendo hoc à *relatione Continentiae* adeò alieno, seu in Intestinis nequaquam detineri debito, urget. Cum verò de his ipsis *Contentis* artic. modò præcedente breviter locuti sumus, hic illud saltem addimus, quod eorum alià quasi *magis specificè*, alia verò *minus*, hoc ipsum *Symptoma* præstent. *Prioris generis*, sunt, *Critica illa Deposita*, quæ à *Natura* has in partes, licet *motu deteriori*, detruduntur, quæ, dum hoc ipso

ipso animæ vitaliter agenti seu Naturæ contraria deprehenduntur, in hoc nobili ejusdem organo ab eâdem non tolerantur, sed in ipsam cavitatem effusa, ex hâc eadem quoque, contractione fibrarum, tanquam Instrumento ordinario, ejiciuntur. Dicuntur hæ propriè & si reverà tales sint, *Diarrhææ Criticæ*; Si verò, ut diximus, deteriori Motu hoc fiat, ut si *exanthemata* quâcunque de causâ retropulsa fuerint è circumferentiâ, *Diarrhææ Symptomaticæ*. Peculiari nomine insignitur illud *Diarrhææ Criticæ* genus, quando ex assumptione inordinatâ *fructuum horæorum*, per specificam horum corruptionem, inducitur Massæ sanguineæ fermentatio quædam singularis, dum videlicet partes horum fructuum mustaceæ, eidem permixtæ, fermentatione sui, præ coctionis mediis, invalescente, sæviorem tantò quâm purgantia venis infusa effectum edunt, quantò his *subtiliora & spirituosa*, tanquam fermentum quoddam, existunt. Unde primò quidem serofsam quandam colluviem, sed, non aliter quâm à *colocynthide*, *albuginescentem & glutinescentem*, in Intestina criticè à Naturâ semovendam fabricantur; quâ tamen exanthlatâ viis hoc actu vel distentis vel solutis, *specifici* producti defectum, tandem *merus sanguis* supplet. *Dysenterie* nomine satis notus, nec rarò funestus est hic affectus, nisi Febris, seu effervescentia illa fermentativa sanguinis maturè compescatur. Minùs specificè hoc præstant *contenta* Intestinorum ordinaria minus perfectè elaborata, ut in *Lienteria*, *Celiaca*, ubi tamen notandum, quod & illæ, si per *Essentiam* oriantur, inter *fluxus alvi* seu *Continentiam* respectu temporis lësam non pertinent, cum non æque tempore excernendi, quâm

F

solo

solo modo effendi tunc peccent, ut experientia notum est.

Symptoma quod in defectu accedit Motui Intestinorum, unicum est, alvi constipatio seu potius obstructio, quæ à causâ vel positivâ oritur, seu à parte continentis, si videlicet hoc comprimatur, ab incumbente utero in gravidis, berniâ scrotali incarceratâ, tumore intestini notabiliori oborto; vel à causâ privativâ, nimirum contenti immobilitate, quæ accedit, quando fæces alvine, quæ liquidiiores esse debebant, ut non tam supernè solum, quam in ambitu quoque, desuper, premi atque ita propelli possint, siccæ, durae, intractabiles, evadunt. Accedit hoc nonnunquam ab abusu adstringentium, siccorum imbibentium, nonnunquam & à concurso defectus lymphæ, per sudores exantlatæ, per meditationes consumtæ, aut justò glutinosioris etiam substantiæ. Hic affectus, cum Inflammationes, & Ileum certò certius pedissequos prorit, maturam medelam indicat.

Depravatio motus Intestin. contingit ratione termini qui cum semper s. n. sit à superioribus versus inferiora, nonnunquam invertitur, & in contrarium versus superiora videlicet, terminatur, quod si solo in ventriculo, aut Intestino ad summum duodeno, vel à causâ externâ, ut Emetico abusivè assumto, fiat; generali Vomitus nomine insignitur: Si verò ab inferioribus usque Intestinis, Ileo imprimis, exantlata, per superiora redundant, fæculenta & fœda, contenta, obstructione causam suppeditante, Ilei seu Volvuli appellationem sustinet. Ultraque eadem est affectio, nec nisi solo termino à quo differunt. Quemadmodum Purgationis natus specificam quandam, & à priori imperceptibilem, corrumpendi contenta corporis fer-

men-

mentescientiam ac *novimus*, quâ hæc ipsa ita immutentur, ut per Intestinorum potius *Emunctoria* à Naturâ apta judicentur evacuari, ita *Vomitoriae* quoquè vel *internæ*, vel ab extrâ assumtæ, *cause continentes*, quæ omnino interdum, quod imperscrutabile, à solâ *Phantasiâ* fabricatæ deprehenduntur, gravissimos nihilominus effectus excitant. Quæ enim de *viscido sulphure*, de *stimulo vellicante*, de *acredine fundente*, de *rubefactione attrahente* purgantium *āw* & *ndjw*, dicuntur, vera quidem sunt omnia, sed *formalitatem* eorum non exhauriunt, non enim propter horum vel unum, vel omnia hæc *purgantem* effectum edere ex eo patet, quod plura alia dentur qualitatibus hisce sigillatim prædicta, & nec sola, nec omnia contemperata, effectum hunc producere valeant, unde *Fr* illud *sui generis*, *vellicatio sui generis*, acredo fundens *sui generis*, rubefactio attrahens *sui generis* sine dubio censenda erit. Sed accuratori & prolixiori indagationi, cum D E O & die suscipienda, hæc reservamus.

ARTIC. III.

De Symptomate peculiari, Sensibilitate Intestinorum.

Sensum Intestinorum s. n. *exquisitum* non inesse, Experientia suadet, qui tamen p. n. *exquisitissimus*, *acutus*, *lancinans*, *anxius*, oritur, eadem teste. *Doloris* nomine hic venit & reverâ id ipsum meretur, si quidem hæc, si ulla, *tristis* est sensatio. Unde fiat difficile quidem est determinatu, sed magis *quomodo* fiat. *Nervis* eundem adscribere propterea oculatores nostri seculi Anatomici verentur, quia plenum his *Lien*, plenum *bepar*, & *glandulae* omnes, sensum nesciunt. Alicui *Tunicarum* hanc affe-

Etum tribuere ex eo religio est, quod non modò superiore
rum tenuiumque Intestinorum *lesiones* quæcunque, *con-*
torsiones & convulsiones, in *Vomitu*, nihil tale exquisitum
sistant, sed & deprehensa in *Ventriculo* apostemata, *inflam-*
mationes, imò totales ejusdem corruptiones (siquidem fi-
des est observationi Cl. Saltsmanni,) citrà ullum *talem* ac-
curatum sensum, seu *dolorem*, cæterum morti inducendæ
sufficientia, reperta sint. *Proprium* itaque aliquid hoc in
Symptomate quærendum quod ita præstamus. *Colicam*,
appellant Medicorum Scholæ hanc dolorosam affectio-
nem, à subjecto, per indicationem ægrorum & cultrum.
Anatomicum deprehenso *Intestino Colo*, quod in hæc pas-
sione vel *Inflammatione*, vel *tensione flatuosa* affici, vel *e-*
rosione vellicari, omnis Experientia confirmat. Quâ ve-
rò præcipuè sui parte hoc patiatur disquirendum. *Ex tu-*
nicis communibus constare, in parte Physiologicâ dictum.
Glandulis (miliaribus æquè ac lenticularibus) obsesum,
ibidem pronunciatum ; Præter hæc verò omnia, *tendine*
quodam seu *ligamento* instructum, quo *tunica nervosa &*
crustosa in certis rugis, & quasi *valvulis*, detinentur, ibi-
dem dictum. Quemadmodum verò partibus *tendinosis*
aliæ in corpore sensibiliores non dantur, utpote quæ gra-
vissimas *convulsiones* producere facili irritatione invitân-
tur, *dolorumque atrocissimorum* genuina subjecta sunt.
Ita censemus ex illatis, *tendinosum* maximè hoc ligamen-
tum sensùs hujusce subjectum organicum esse, & tum
tensione sui p. n. tum *arrosoione*, tum *Inflammatione*, acu-
tissimum illum plus minus sensum organicè & primò reci-
pere. Nec *Pathologiam* huic rei prolixiorē quis expe-
ctet, cum prætereà *nervi sexti* paris in hoc intestinum dis-
seminati, consensualibus exinde oriundis Symptomatis,
plus

plus satis causalitatis sustineant. Cæterum pro affectus hujus & explicazione & curâ suffecisset omnino, imò subinde melius esset, uno & communi nomine in utroque sexu eundem appellare, nec *in fœminis utero* adscribere, à quibus ipse ne per *consensum* quidem afficitur, nisi *Symptomatum* ultimâ Syndrome, longâ *causarum consensuumque* decompositione, idipsum denique, licet rarius, eveniat, *de quo tamen alio tempore, vel verbis, vel literis, apodictice differendi cum DEO erit occasio.* In facto verò, à quānam causâ continente deducenda sit *præsens Colica*, ex signis, suprà pro *Diagnosi morborum amplitudinis & magnitudinis* allatis, elucescet. Interim ab omni sensibilitate reliquas Intestinorum, & præcipue *membraneam, nerveam* dictam, in totum proptereà non excludere possumus, quia *ex Inflammationibus Ilei* quoque Intestini, satis perceptibilis consurgit dolor, *siquidem Colo potius eundem adscribendum nemo sustineat supponere, quod tamen probabiliter prestare tam arduum non putamus.* Et hæc pro *Pathologiâ* Intestinorum nostrorum breviter proposita suffectura speramus.

SECTIO III. PRACTICA.

Quemadmodum *Pathologiam* Intestinorum *ως εν κύκλῳ* proponere hactenùs sustinuimus: ita huic *Praxeos administrationes* superstruere, *rationaliter & secundum Indicationes debitas*, in *præsenti* accingimur, quod quā methodo præstituri simus, hic paucis prælibamus.

Causas continentes Symptomatum esse Morbos, in partibus organicis, ex Pathologicis communibus repetimus. At verò prout communiter tractantur affectus Intestino-

rum non semper hoc attendi à quibusvis solet. Frequentissimè hi sub *Symptomatibus* & *actionibus lësis* imponunt, nisi accuratissimè *Diagnosin* & circumstantias *Pathognomonicas* attendamus; quamvis & hæc hâc in re satis sæpè fallacia deprehendantur. Unde pro *Indicationibus*, tanquam unicâ agendi *Cynosurâ*, benè eruendis, *Morborum* suprà recensitorum *numerum*, *Essentiam*, & *signa*, benè perpendenda denuò monemus, ex quibus denique *Indicata*, debita spontè resultant, & *Praxis rationalis Curam bonam* pollicetur. Quod ipsum ut nos quoque præstemus, *Morbos* primò *Intestinorum* tollere satagemus, utpote quibus sublatis, ceu causis, *Symptomata* ultrò fatiscent, nec eorum ulla interim remanebit *Indicatio*, nisi *Urgentia*, ut suo loco patebit.

MEMBR. I. Artic. I.
De Læsione Consistentiæ Intestinorum seu morbis Conformatio-
nis eorum.

Inter *morbos* itaque *trinæ dimensionis*, negatâ *longitudinis* læsione, *amplitudo* auëta occurrit seu *distensio*, quæ cum oriatur à *causâ continente*, vel *solidiori*, vel à *flatuosa* solùm; utraque hæc sui *ablationem* indicat, quod in priori fit *evacuatione* simpliciter, aut *Symptomatum* ad minimum coërcitione: In posteriori, *discussione* & *redactione* in *substantiam concentratiorem*. Pro *evacuatione*, si *distensio* affecerit *ventriculum*, in facto *cibi nimii*, wann man sich überessen hat / *Vomitorium* quodcunque exhibitum negotio satisfaciet, v. g. *Emet.* gr. i. ad jv. vel: *vitæ* gr. ij. iij. Si verò in *inferioribus* jam tûm *Intestinis* hæreat collecta fæcum moles, *obstructione* coacervata, duplex

plex tunc Indicatio, *primaria* hanc referandi, *secundaria*, illud quod ab hac detentum est, mature educendi; de *priori* paulò post; *posteriori* verò purgans quocunque velitatur, inter quæ tamen *Ialappa* in Essentiâ, *scammonium* in quacunque formâ, reliquorum omnium saporem, molem, operandi modum compendiosè & jucundè sistunt, præcipue cum ♀ *Plati*, ♂ *Plati* additione, *scammonium* sati mitescat.

Si verò *Symptomata* quis saltem mitigare intendat, spe fretus, *concoctione* & *distributione* assumtorum successivâ, effectum præsentem, qui sine hoc unius saltem vel alterius horæ est, solutum iri, ille potius nihil agat, quam opiatis & aliis *narcoticis*, *Concoctionem* & *digestionem* turbet; cum hæc iis saltem casibus scribamus, ubi *anxietates cardialgice*, imò *lipothymie* repetitæ, affectum hunc atrocem reddunt, quale exemplum bis accidisse meminimus; levius verò malum ne *Symptomatum* quidem mitigationem meretur.

Flatûs discutientia & *reducentia*, laudantur *Diaphoretica positiva*, seu *incalescentiam actualēm* totius Massæ sanguinæ, citrâ tamen *Spirituum* turbationem, augmentia, ubi ♂ *Plati*, est instar omnium; cui succedunt *Olea destillata*, ob febrilem astum minus quam ille exoptabilia; & præ his convenientes aquæ oleosæ, *Salviae*, *menthae*, *melissæ*, *matricariae*, *corticium citri flor. aurant.* item *Simplicia* hæc eadem, radices *acori*, *galangæ*, *Zedoariae*, inter quas *galanga* ob blandam *adstrictionem* præcipuam laudem meretur: tum *aromatica*, *Zingiber*, *piper* præcipue *oleum ejus destillatum* unâ vel alterâ guttâ, repetitis vel simultaneâ vice; in specie *Cuminum*, *anethum* & exinde præparata. Qui restitantem post exhalatos vapores *viscidam* timent *materiam*

riam, ex alio capite remedia petent, uti & tonus Intestinorum, post evacuationem distendentis, adstringentibus & nervinis roborandus, inter quæ posteriora *Vinum* medio-criter generosum *calidum* cum *Cinamomo*, *caryophyll.* &c. assumtum, commendari meretur.

Obstructio meatûs seu amplitudinis, sui *Reserationem* per causæ continentis ablationem indicat: quæ si sint fæces, harum emollitio ex Membri secundi artic. I. de relato *Continentia peccante* petatur: Si verò decubitus alicujus partis, situs hujus quocunque modo mutetur. Si bernia incarceratio, hæc restituatur: Si assumtum t.g.p.n. pro ratione *Prognoseos*, *Evacuantibus* tentetur: Si denique *morbus magnitudinis* seu *tumor*, ex sequentibus illi prospiciatur. Præcipue verò *maturè* hæc omnia fiant, ne consummatum malum *Ileum* & *Gangrenam* partis inducat.

In *Magnitudine* auctâ cum *imtemperie* causæ continentis calidâ (quæ à stasi humorum materiam, à corruptione verò eorundem, formam mutuatur) indicantur *resolventia*, *discutientia*, & *corruptioni resistentia*; cum verò loco affecto immediate applicari hæc non possint, sed ad eundem non nisi in minimâ proportione, nec sincera amplius appellant, internè nudâ *Diaphoresi* res tentanda, ut videlicet motu in totum violentiori inducto, hæc quoque particula ejus segnior, in eundem corripiatur: ubi tamen *topica externa* suum quoque Symbolum conferunt, quotiescumque locus affectus in *regione gastricâ* & *confinibus digito* ab *egro* designari potest, in quo tota hujus topici indicatio fundatur. *Materiam* remediorum suppeditabunt internè *privativa* potius, ut vocant, *Diaphoretica*, præcipue *marina*, & inter hæc eminentes *oculi cancri*, quæ videlicet absor-

absorbendo omnem acorem (qui exacerbare inflammations, assumto vino, aceto &c. deprehenditur) serum fluxilius, & ita dilutioni aptius, reddunt, simulque *Urinam* educendo, revulsioni materiae stagnantis, imminuto quanto totius, conducant. *Salina* verò vel *fixa* vel *volatile*, *alcalica*, ob facilem sui in *salsum* degenerationem, in nullis *Inflammationibus* commendare sustinemus, qui ab iisdem, ut & nominatim spiritu *Theta*ci, adhibitis, semper astuum & dolorum exacerbationes reportavimus. *Camphoram*, omnium *Inflammationum Tyrannum*, hic quoque commendamus, nisi ægri Idiosyncrasia refragetur. *Myrrhata corruptioni* obicem ponent. *Topica externa* alii alia commendent, nos & *mediocriter rectificatum*. cum linteis quadruplicatis calidè appositum, egregiè se gesturum spondemus. Pro varietate *loci affecti*, si nimirum ille fuerit *Intestinum Colon*, prodescent *Clysteres* merè *emollientes*, c. albb. ovor. conquaßatis, absque stimulo, modo iisdem, suppuratio in abscessum non proritetur. *Opiatum in Clysterē dissolvendum* commendamus. In Diætâ *victus sit tenuior, acida, aromatisata, vinum, vitentur*. *Alvus* ordinariâ in mobilitate teneatur, nec tamen facile *irritetur*. *Refrigerationes*, potusque *frigidus* vitentur. *Opiata* sine *Diaphoreticis*, imò verò citrà urgenter dolorem, nunquam propinentur; *Cinnabarina* potius *Anodyna* fixis praedictis sedulò jungantur. Si ex *concuSSIONe abdominis*, gravioris *Inflammationis* oriatur suspicio, *Venæ sectio in superioribus, brachiis, revulsorio scopo* satisfaciet.

Frigidi Insensilesque Tumores Intestinorum intrà abdomen, quemadmodum difficillimæ *Diagnoses*, ita Curæ raro offeruntur; Si tamen sui præbeant suspicionem, *Catarhalibus, Diaphoreticis, Diureticisque tentanda*. De Scir-

rbo idem judicium , cuius emolitio partim in topicis exter-
nis partim lubricantibus , bumectantibus , emollientibus , in-
ternè adhibitis ponenda , eâ tamen cautela , ut irritationes
& effectiva refrigerationes Intestinorum sedulò caveantur.
Conveniunt itaque *Effent.* *succin.* *Myrrb.* *g. Diaphor.* *oc.*
Cancer. ad levem sudorem : *Lenientia seu Laxativa Infusa*,
leviter *sennata* &c. *victus humido-gelatinosus* , *juscula seu*
potus mucilaginosus , *mellitus* , &c. *Extrà abdomen in her-*
niis incarceratis , *fotus humidus vel simplex* , *vel ex simplic.*
discutientibus , *flor. chamomill. malva* , *sem. lini* , *furfur.*
cum vino , + , *lacte* , *coctis*.

Ad *lesionem Continuitatis* dum accedimus , exactè
perpendendam repetimus *Diagnoseos* rationem , an nimi-
rum eadem *plus minus* vel *certa* vel *dubia* sit : item quæ
de *Prognosi* eodem loco diximus. *Vermes* itaque vel læ-
dentes , vel in suspicione , læfuros quod attinet , trucidantur
horum communiores *amaricantibus* , quorum longum
Catalogum vid. in *Valesci de Taranta Philonio pharmac.* p.
498. præcipuè *myrrbatis* , *aloëticis* , continuatò assumtis ;
specificè semen santonici , & secundùm quosdam *Corallina* :
Certissimè argentum vivum vel in aquâ coctum , quæ co-
lata exhibetur , *segnior* : vel cum *saccharo* pulverisato per-
mixtum pondere unius vel alterius grani ; vel sub nomine
g. ii dulcis , qui tamen legitimè preparatus esto. Trucidati
tanquam contenta toto genere p.n. tractentur.

In *lesionibus continui à deglutitis absurdis* , cibi ευπεπή
largior assumtio , quô *Intestina* distendantur , item *pingui-*
um & *lubricantium usus* , *Præservativè* commendandus.
In læsione verò effectivè sese manifestante , circumstantiæ
probè ponderandæ , ex quibus sicubi salutis spes affulgeat,
Intestina quoad infernè fieri potest , *Clysmatica demulcen-*
tium,

tiūm , lacteorum , cum & hyperici , lilior . albor . injectione , nonnihil veluti distendenda ; Superne quæ inflammationi & hæmorrhagiis convenient , & inter eadem Euporisti olei Lini , assumtio , suadenda , causæque continentis eductio sollicitè expectanda . Quâ obtentâ , traumatica paulò post dicenda in usum vocanda .

Vulnera Intestinorum quod concernit , probè expendendo circumstantias Prognosticas suprà exquisitè propositas , respiciendum erit ad indicationes Vulneris quâ talis , quæ consistunt curative in consolidatione , præservative in Symptomatum concurrentium & morborum complicatorum præcautione . Horum atrociores cum sint Hæmorrhagiae & Inflammationes , utrisque prospiciendum erit . His , ex paulò antè dictis ; Illis , adstringentibus , terreis , absorbentibus , v. g. Martialibus c. -^r Θis paratis , Tincturâ Stypticâ ♀is Θli flor . Hæmatit . Terrâ sigillat . Bol . armen . croco & tis adstring Eff . Gl . & tis c. & co addito , flavescente ; In gravioribus , revulsio per V. S. in superioribus , commen- dabilis . In levioribus verò præcipue Myrræ Mastichis- que liquaminibùs , cuius posterioris exemplar est apud Rolf. Metb. Comm. L. 9. Sect. 1. c. 1. p. 739. ex Masticholog. Strobelberg p. 98. præparatum ex Mastich. elect. p. 1. ol. olivar. recentis p. V. ad dissolutionem mastichis coquendo ; cui posteriori commodè substitui posse oleum Lini , & coctionem in vase clauso perfici , monemus . Si verò latè patens sit vulnus abdominis , ita ut per idem Intestini pars vulnerata propendeat , salubrior erit Prognosis & Vulneris simpliciter attendendæ Indicationes , nempè combinatio- nis labiorum & coalitionis . Propriori ne consuitio si opus fuerit , ipsa horrescenda ; Pro posteriori verò balsamus ♀ terebinthinatus , vel myrræ Essentiâ permixtus , curæ caput censemus . Mirabilia circà tales casus experimen-

ta hinc inde prostant, inter quæ meritò citamus *Zodiacum Gallic.* Bleghy anno 1. mens. Jan. obs. 5. ubi Intestinum Jejunum, ad longitudinem transversi digiti vulneratum propendens, insperso solo terebinthina cocta pulvere, reposatum, æger que restitutus. Beccherus tractatulo vernacula lingua *Conscripto*, fluge Thorheit und Nährische Weisheit / intestina porcelli ad spithamalem longitudinem dissecta, consuta & restituta memorat, in quo tamen experimento id unum moneo, minus tribuendum allegato ibidem & curæ caput credito sali, sed potius innoxiam intestini scissionem, consuptionem, præterea in tenello subiecto, attendendam. Similia verò plura videri possunt apud Schenk. obs. medic. l. 3. f. 421 ubi in specie de Intestinorum tenuiumportionibus per Vulnera & abscessus ablatis, superstitionibus agris, legere est. Item Paræus I. 9. c. 33. Vulnera Intestinorum curata memorans videri potest, nec minus Scholion Excell. Volkameri ad obs. 20. Decur. II. an. 1. Actor. Nat. Cur. huc trahendum.

De Intestini verò Recti & proximi Coli ulceribus, vulneribus, & similibus soliditatis affectibus, hic repetimus quæ suprà dicta sunt, nimirum commodius eadem tractari per Clysteres, herbis traumaticis, oleo hyperic. tereb. invitell. ov. dissol. prægnantes ; & addimus pro cautelâ in Recti exulcerationibus & excoriationibus, si ad consolidationem res spectet, parietum coalitionem omnibus modis præcavendam, quod exsiccantibus traumaticis ex hno, quæcunque formâ, paratis, & aquis appropriatis, vel decoctis, dilutis commodè perficitur.

ARTIC. II.

De Læsione Conformatiōnis respectivæ seu Situs, Intestinorum

Situs Intestinorum mutatus sui repositionem nudam exigit;

Pro-

processus vero per quem erumpere solebat, vel per refectionem efformati sacculi, vel per obstructionem cum fasciâ appropriatâ, curatoria vel preservatoria tractatio hujus capitum non est. Sic ubi verò à refrigeratione, attritione, concussione, tumefactum, in *berniis scrotalibus* incarcetur, nec per angustum suum foramen retrudi valeat mole auctum, *topicis discutientibus* proprio loco suprà membratis, tractandum, & ita *repositioni* aptandum erit, quæ etiam sponte & citrâ manualem operam, vel *balneum* vel *leatum* intrando, succedere solet.

*Procedentia ani repositionem sui, & partis laxatae tonum restituendum indicat; prius perficitur manu blandâ, posterius medicamentis adstringentibus, quæ pro variâ sui forma externâ variè agunt; Si in *fotibus* fiat applicatio, manuali operatione interdum planè non opus est, sed ex seipso retrahitur pars prolapsa, præcipue brevior existens. Unde hoc casu decoctum vinum mediocre cum *balaust. malicorio, rad. rub. tinctor. ros. rubr.* convenit, & totis *Inseſſibus* supersedere posse facit. In formâ siccâ conducunt aſpersio *Ceruſſa, Croci Etis, gallar Mastichis* præcipue; cūjus etiam, ut & *succini* & *asphalti, suffitūs* commendantur.*

MEMBR. II. ARTIC. I.

De Symptomatibus seu Læſionibus Continentiæ Intestinorum, & quidem I. Relativæ.

Continentia Symptomata cum suprà distincta sint in talia relati, Intestinorum; & Correlati, contenti, faciunt illa evanescent causâ propriâ, continuitatis morbo, ablatâ; bac verò ordine discutentur sequenti. Contenta toto genere p. n. ab extrâ immissa solida & flida, acumine vel acredine prædita, tolluntur, prima alimentis, reliquim, iumentis, largiori quantitate assumtis, ut hoc modo *Disten-*

tis in amplius spacium intestinis, contentum illud tantò faciliter simul procedat. Hæc verò ipsa & acria quoque præservativè curativè respiciunt pinguis, ut butyracea, unguentum rubrum potabile, quæ lubricando, oblinendo, tum absorbendo, acuminis & corroositatis penetrationem impediunt. Acribus verò solis, debentur absorbentia, sapor illi dicata, ut in assumtō ~~per~~ato, alcali quodvis Sal assumtum, absorbet ~~per~~us salinos cum ~~per~~io prius concentratos, & dissolvendo hoc modo nexum illum, quo solo tam deleterium est hoc virus, innoxiam utrvisque præsentiam efficit. Arsenico convenientiunt Butyracea præcipue, acorem ejus summum temperantia; Aquæ forti & similibus draſticis acidis, ob imminentem ex assumtis alcalibus vel terreis, effervescentiam, sola aqua, haufu largiori assumta, diluendo, & ita energiam draſticam dispergendo, prospicit; Si verò fructus aliquis venenatus, narcoticus, furiosus, assumtus fuerit, in principio vomitoria, pro eo, tanquam causâ continente, evacuando; in progressu verò temporis accepta, præcipue Bezoartica, vel & communia largiori & unciorum dose assumta, pro correctione veneni vegetabilis præsentissima commendata volumus: vid. Faberi Strychnomania.

Vermes cum vel specifici sint, vel ex spermate intrà corpus imbibito propullulent, horum priores primò trucidandi de quo suprà de Læf. Cont. deinde educendi, quod præcipue peragit vel cibis fæces sicciores causantibus, quibus illi involvantur: vel assumtis simul post hos ipsos purgantibus minus sacerum serum eduentibus, v. g. colocynthiacis; ne videlicet sero puriore dilutæ fæces facile exprimantur, longum verò illud cadaver solâ contractione Intestini, frustrâ propelli tentetur.

Qui ex spermate intrà corpus imbibito propullulant, eodem quidem modo tractandi, sed pro eorundem v. g. ranarum (& reliquorum aquatilium, cujus speciei hi communiter sunt) enecione tentanda oleosa expressa, Olivarum, amygdal. amar. item amara, Myrrha, absinthium, centaurium, Card. Bened. &c. denique ejectio illorum à potius instituenda, cum communiter in Ventriculo residere soleant.

Contenta p. n. huc deposita & ita existendi modo peccantia, edu-

educenda , & motui generationis ex aliis capitibus obex ponendus. vide paulò suprà de *Hæmorrhagiis*. Cum verò modus horum essendi eductiōnem sàpè impedit, visciditate præprimis & acre, illa incidentibus, hæc absorbentibus tractanda. Ast cum incisio communiter fieri debeat per *Salia*; hæc interim dissoluta, cum liquore vehiculo, citius sàpè venas lâcteas irruant, & effectum, qui contentis Intestinorum debebatur, per *Diuresin* edant, ante quam ad locum ubi illud cui destinantur hæret, pertigerint : hæc ipsa nunquam nisi cum purgantibus danda, nequaquam verò illis solitariè præmittenda, ut ita cum elicito liquore seroso per tractum Intestinorum deturbentur, & finem suū, contactu necessario, assequantur, arcan. dupl. M. ♫ ⊕ l. Sp. ⊖, Θ, dulc., laudo. *Absorbentia* pariter terrea potius & in largiori quantitate, vel saturnina, & optimè, & tialia, itidem cum purgantibus, dentur, utpote quæ adstringendo vias, ulteriore simul effluxum cohibeant, affluxui Diaphoresis prospiciet, ut & corruptioni illi humorum specificæ, fermentaliter in Massâ eorundem hærenti, ubi etiam, si turgescentia nimia eludat adstrictionem viarum, in *Opi* quæratur præsidium, modo usque ad tempus urgens dilatâ ejus imploratione, & Criticis naturæ conatibus, & prodigalitate vel furiosâ vel passivâ probè distinctis.

Contenta propria & ordinaria, essendi modo tantum excedentia, peccant 1. siccitate, quæ si accidentaliter, orta ab assumitorum adstrictione, vel imbibitione, ut panis biscocti, duri, siccii, potio largior, interim tamen purgantis cujuscunque incoctione, intrâ intestina detinenda, rem expediet. In habituali, præservativè sudores, qui à centrô ad circumferentiam evocant humiditatem, vitandi : aperientibus, humectantibus, ex pharmaciâ & Dietâ, recidiva præservativè cavenda; Lenientibus & Laxantibus per vices repetitis, motus Humorum ad Intestina consuetudin ilis introducendus. 2. Maturitate, ubi deficiunt in Lienterîa & Cæliacâ, quibus ex Coctionis indicationibus prospiciendum quod hujus loci non est; Excedunt, in putrilaginosâ corruptione, scorbuticis & hypochondriacis familiari, ubi pariter ex fontis nempè morbi ipsius, exhaustione, auxilium, pariter proprio ex loco, petendum.

ARTIC. II.

De Continentia respectivâ ad tempus seu Motu Intestino-
rum, læso; & Sensu p. n. inducto.

Motum Intestinorum vel excessu vel deficiu, vel termino pecca-
re suprà demonstratum. Hæc verò omnia cum causas a-
gnoscant morbos partium & Symptomata Contentorum, ut ibi-
dem notatum: *Symptoma ipsum quidem, tanquam effectus, non*
nisi causâ ablatâ, cessabit, interim autem modus seu vehementia,
eiusdem urgens, in vires & sensum maximè sæviens, Indicatio-
nem summe attendendam absolvit; cum verò causa vel activa,
vel passiva, pro diverso respectu, sint utrinque spiritus; hi in a-
ctivitate tum motus tum sensus refringendi, quod solis internis
Opiatis & Cinnabarinis (ut Prae Vitriolica, aurea, &c. Ano-
dyna, tanquam res in officinis hactenus merè nominales, reali &
urgenti affectui frustraneis promissis non opponamus) exter-
nis verò Paregoricis, & commode unicâ chamomilla, vel & cam-
phorato, absolvendum, paucis edicimus, cum tamen plura ver-
ba & formulæ non nisi huc recidant. In omni itaque Motus
excessu & depravatione quâ terminum, urgente, sistentia hæc inter-
na proderunt; In sensu præsenti, & tristi eadem: Sed utrinque
habito respectu ad causam, & secundario, exhibita. In imminuto
verò motu vel tono, Paralysi musculi Sphincteris, quæ affectui a-
lias convenienter nervina, castorina, fotus calidi ex roremarino,
salviâ, mentha, melissa, majoranâ: Insessus ex iisdem, & balnea
formicarum. Internè Essentia succini, & Θυρ. C. C. absorbentia
terrea, oculi &, ostraco derma, Corallia c. dispositione ad suf-
ficiente madorem, totam rem component. Data in omni-
bus affectibus Intestinorum tenuis (præter casum fœmel datum
de contentis t.g.p.n.) cibus & panis, potus (& omnis habitus) calidi-
or; Si absit inflammatio, vinosus; Motus & quies in mediocritate;
Somnus in fluxibus, & Symptomatibus omnibus Continentis, lar-
gus quantum possibile: Vigilia, & animi pathemata mœsta, illæ
modicæ, hæc nulla; Excernenda verò, præservativè etiam, in sta-
fi nunquam relinquenda, in morbis verò Continentis, in solido,
non nimis acriter proritanda.

Quibus omnibus ita undique accuratè observatis, felicem
Medicinæ circâ hoc objectum, finem, & internum & externum, ex
RATIONE & EXPERIENTIA, cuivis dextrè & scientificè secundum
proposita progredienti, pollicebor.

FINIS.